

M. Tört. O.

565.




M. Tört. O.

565.

291









AD LECTOREM.

Rerum nondum fatis orbi cognitarum narratio, innata quadam virtute cupidos ad se animos trahit, atque invitat. Supervacaneum proinde, Ortum & Progressum variarum in Dacia gentium, ac Religionum cum Principibus ejusdem, monumentis consignaturus existimavi, Lectorum benevolentiam quæsitis labore improbo rationum momentis conciliare. Missa igitur omni assentatione, iis etiam neglectis, quæ è sæculorum anteaكتورum tenebris, quibus Dacia quam maxime involvebatur,

tur,

tur; in lucem Scriptores accuratissimi produxere: ad ea me confero, de quibus plurimi penitus tacuerunt, pauci admodum, iique sparsim duntaxat, meminerunt. Seriem vero temporis secutus, primum Judæorum in Dacia natales, deinde Ægyptiorum, ac Valachorum adventum commemorabo, post; ad Religionis Orthodoxæ antiquitatem, & variarum sectarum, quæ hodie in Dacia reperiuntur, originem digrediar: Principes demum, qui rerum in Dacia ultimis potiebantur sæculis, tam sine adulatione, quam sine odio perstringam. Unde non mediocri narrationi reliquæ lumen affulgebit. Tua Lector benevole interest, oculo minime vitiato foliola hæc lustrare; mea, institutam prosequi narrationem.

PARS



PARS PRIMA

Ortus, & Progressus variarum in Dacia Gentium, ac Religionum.

§. I.

De Judæorum in Transylvaniam adventu.



Nno à reparata mortalium salute supra septuagesimum secundo, ab Imperatoribus ultæ Christi necis nomine gloriosissimis Tito, & Vespasiano, imminente Hierosolymis excidio, Judæorum profugorum colonix post longas tandem ambages in Daciam Mediterraneam, quæ Transilvania est, appulerunt. Daciam eo tempore universam
A guber-

gubernabat Decebalus Rex , prælio contra Romanos , à quibus demum devictus fuit , inclytus. Is ut in tempore Romanis resistendo effet , exteras in regnum nationes ultrò admittebat , eas præsertim , quæ mercaturæ operam impendebant suam. Has inter primi omnium fuere Judæi , quibus ad perangustum è Valachia Transalpina in Transylvaniam ingressum civitatis erigendæ potestatem concessit , eo cum primis nomine , ut negotiationi , aut auro ex aquis Transylvaniæ aurum ferentibus corradendo operam darent. Urbem propriis erectam impensis Thalmum dixere , quæ deinde Armenorum , Græcorum , Thracum , Mæsoforum , ac Tribalorum accessu in florentissimum evasit Emporium , celeberrimo *Rubræ Turris* propugnaculo à Templariis extructo munitum ac decoratum. Multiplicabantur subinde Judæi non in Transylvania modò , verùm etiam in Ungaria adeò , ut variis Regum Apostolicorum coërcendi fuerint statutis , quorum è numero tria commemorasse sufficiat. Primum D. Regis Ladislai L. 1. Decr. c. 26. de Judæis Festo die

labo-

laborantibus ita decernentis : „ Si in die
 „ Dominico, aut allis majoribus festivi-
 „ tatibus Judæum laborantem inveneris,
 „ ne scandalizetur Christianitas, cum
 „ quibus instrumentis laboraverit, illa
 „ amittat. Alterum Andreæ II. Judæis Un-
 „ garia, Zabolca, Regécz, & confinibus
 „ exceptis, severe interdicens: Novissi-
 „ mum denique Ludovici I. „ Hebræos,
 „ si deficerent à suis erroribus, pro Un-
 „ garis cum usu privilegiorum agnoscen-
 „ dos, sin minus, ex Ungaria omnes pel-
 „ lendos statuentis. Superfunt verò eti-
 „ annum infelices eorum posteris sparsim in
 „ Transilvania, ut nihil dicam de Ungaria,
 „ in errore suo pertinacissimi, Albæ præ-
 „ fertim Carolinæ, ubi obtentò extra Urbem
 „ domicilio statas in dies obeunt ceremonias.

§. II.

*Origo, & Progressus Zingaro-
 rum in Dacia.*

Zingari, vaga hominum colluvies, &
 ab artis Autholicæ notitia celeberrima,
 quando in Transylvaniam penetra-

rint, non referunt Annalium Scriptores. Verior est conjectura ingressos esse sub Decebalo Daciæ Rege, qui seu divitiarum corradendarum spe illectus, seu comparandarum adversus Romanos virium studio, facilem peregrinis gentibus aditum in ditionem suam concedebat. Tota ferè dispersi Transylvania, Civitates amabant ac præsidia, ad quorum muros erecta etiamnum tuguria, aut tabernacula incolunt cum amplissimis Principum privilegiis. Infamia alii obeunt munia, symphonicos agunt alii nullis in Dacia secundos, cæteri ad incudem desudant. Religionem aut sectam ut plurimum arbitrariam profitentur, ac ferè quam heri, aut ii, quorum ope, ac patrocinio fruuntur. Linguâ haud multum ab Ægyptia dispari utuntur: Hinc frequens inter eos Pharaonis memoria; dialectum tamen locis, in quibus degunt, conformant.

§ III.

Ortus , & Propagatio Valachorum in Transylvania.

CLavum Imperii Romani tenente Augusto Cæsare aliquam Istri Regionem possedisse Romanos , iisque Cajum Pomponium Flaccum Ducis nomine præfuisse canit ad Græcinum exul Poëta Sullmonensis Lib. 4. de Pont. Eleg. 9.

*Præfuit his Græcine locis , modò Flaccus ; & illa
Ripa ferax Istri sub Duce tuta fuit.*

Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli ,

Hic arcu fijos terruit ense Getas.

Opinio multorum est à Pomponio hoc Flacco Valachorum nomen derivatum esse, Domitiano deinde ac Trajano Dacis bellum inferente majores eorum colonias ex Italia in has oras devenisse , ac etiam sedem in Dacia fixisse, quorum posteros sese hodiedum Valachi, deducta à Romanis nomenclatione *Rumun* , sive *Romun* , fatentur. Valachos Italorum gentiles esse illud quoque non vano fuerit argumento, quòd diversa eorum à superiore appellatio Italum, aut quidpiam Italo affine sonet.

Valachus quippe *Walach* Slavis, Ungaris *Oláh* dicitur: parvo admodum ab *Olasz*, quod Italum designat, discrimine. Nisi malis postremum illud Valachis inditum, quòd ritum amplexi sint Ruthenorum, qui, teste rerum Polonicarum scriptore Alexandro Guagnino sub Olha Duce, & Volodimiro ejus filio, Russiæ Monarcha, restitutæ per Christum salutis Anno 942. Christiana Sacra Græcorum ritu susceperunt: à qua proinde ritus illius propagatrice Moldaviæ, & Transalpinæ populos Daci reliqui *Oláhos* nuncuparint. Linguam sibi familiarem Romanam habuere, quam adè hodie corruerunt, ut Latini etiam sermonis gnaris peregrina esse videatur. Gens ipsa rudis admodum, & Schismati ac superstitionibus sæculis superioribus involuta Spiritum Sanctum à solo Patre procedere credidit, salutaria Orthodoxorum lavacra, cæterosque ritus damnabat, execrabaturque. Exemplum à Clero accipe: adè huic exosa fuere Catholicorum sacra, ut si Romani ritus Sacerdotum quempiam ad lapideam Valachorum aram rem Divinam facere contigisset, illam funditus diru-

diruerit , ipsos etiam pavimenti lateres
 velut pollutos everterit , arámque inno-
 varit. Catholicis addictos Sacris gravi af-
 fectos morbo salutari rursus initiabant la-
 vacro , renuentes honore privabant sepul-
 turæ. Ex quibus demum , cæterisque in-
 numeris erroribus , ac superstitionum ,
 quas consultò prætereo , tenebris , DEO
 miserente emergere , operaque Pauli Ba-
 ranyi S. J. Sacerdotis Evangelicæ verita-
 tis lucem cœpit intueri. Hic Theophilo
 Valachorum id temporis Antistiti author
 fuit 1696. ut ejurato cum suis Schisma-
 te , Romanæ Ecclesiæ reconciliaretur. Co-
 acta igitur Synodo mense Februario An-
 ni 1697. rem adeò feliciter gessit Theo-
 philus , ut ejusdem Anni mense Martio
 Religionis Catholicæ professio omnium
 consensu reciperetur , quam ad verbum
 hic subjicio.

„ Nos Theophilus DEI gratia Eccle-
 „ siæ Valachicæ in Transylvania , parti-
 „ búsque Ungariæ eidem annexis Epif-
 „ copus , & universus ejusdem Ecclesiæ
 „ Clerus memoriæ commendamus teno-
 „ re præsentium , quibus expedit univer-
 „ sis ,

„ fis , quòd cùm elapso Februario Albæ-
 „ Juliæ generalem Synodum celebrare-
 „ mus , unanimi consensu conclusimus ,
 „ nos redire in gremium sanctæ Matris
 „ Ecclesiæ Romano-Catholicæ , eidem-
 „ que reunire , ea omnia admittentes ,
 „ profitentes , ac credentes , quæ illa ad-
 „ mittit , profitetur , ac credit. Atque im-
 „ primis illa quatuor puncta , in quibus
 „ hæctenus dissensimus , profiteamur :

„ 1. Agnoscimus Romanum Pontifi-
 „ cem totius Ecclesiæ Christi per orbem
 „ diffusæ caput esse visibile.

„ 2. Profitemur præter cælum , se-
 „ dem Beatorum , ac infernum , carce-
 „ rem damnatorum ; tertium dari locum ,
 „ in quo animæ nondum expiatæ deti-
 „ nentur , ac purificantur.

„ 3. Panem Azymum sufficientem ma-
 „ teriam Cœnæ Dominicæ , ac Sacrificiî
 „ Missæ , seu Liturgiæ non dubitamus.

„ 4 Spiritum Sanctum tertiam in Tri-
 „ nitate personam à Patre & Filio proce-
 „ dere credimus , ac reliqua omnia ad-
 „ mittimus , profiteamur , ac credimus ,
 „ quæ sancta mater Ecclesia Romano-Ca-
 „ tholi-

„ tholica admittit, profitetur, ac credit.
 Præmissa Fidei professione tria vicissim
 à Sacratissima Cæsarea, Regiâque Maje-
 „ state postularunt. „ 1. Ut Sacerdotes,
 „ & ritus Græci Monachos eorundem
 „ privilegiorum, & jurium participes fa-
 „ ceret, quibus jam gaudent non solum
 „ Sacerdotes Romano-Catholici, sed eti-
 „ am Ariani, Lutherani, Calviniani. 2.
 „ Ut in quolibet pago, in quo Parochus
 „ est, domum habeat Ecclesia Parochia-
 „ lem, ne in aliena domo aut fundo co-
 „ gatur Parochus habitare. Ut adæqua-
 „ ta dependentia, & dispositio Parocho-
 „ rum sit penes Episcopum, & nullô mo-
 „ do penes sæculares, ut hætenus. Qui
 bus demum hunc in modum subscripse-
 runt :

„ Nos inquam prænominati Theophi-
 „ lus Episcopus, ac Clerus universus
 „ hæc à sua Sacratissima Cæsarea Regiâ-
 „ que Majestate humillimè hic postula-
 „ mus, ac ad præmentionata puncta ob-
 „ ligamus coram R. P. Paulo Baranyi Ec-
 „ clesiæ Romano-Catholicæ Albæ-Julix
 „ Plebano. In cujus rei fidem, ac robur

„ manu nostra subscripsimus , & tum E-
 „ piscopali , tum Universitatis sigillò
 „ communivimus. Datum Albæ-Julix
 „ 1697. die 21. Martii.

THEOPHILUS Episcopus , ac
 Clerus universus.

Hæc erat prima Valachorum ad Ecclesiæ
 Romanæ authoritatem redeuntium confes-
 sio ; quæ ut Fautores , ita adversarios
 Viennæ nacta est complures , eorum præ-
 fertim è numero , quibus grave est Reli-
 gionis Catholicæ intueri incrementa. Vi-
 cit tamen probitas improbitatem , & hosti-
 um molitiones gravissimis Magni id tem-
 poris arcanorum Cæsaris Arbitri , Emi-
 nentissimi S. R. E. Cardinalis à Kolonics
 Strigoniensis Archiepiscopi consiliis suc-
 cubuere. ita enim Anno 1698. 14. Apri-
 „ lis pro Valachis conclusum : Qui ex
 „ Sacerdotibus Græci ritus Valachus edi-
 „ ta professione ad observantiam ritus
 „ Græci apud Catholicos cum agnitione
 „ Summi Pontificis se declaraverit , gau-
 „ debit privilegio Catholicorum. &c.

Ita rebus in Austria compositis gravius
 in Transylvania periculum Valachos ex-
 cepit.

cepit. Succidenda brevi nova lætitiæ seges in Theophilo mense Julio fati sublato poterat existimari, alienis præsertim à vera fide, posthabita sanciti Cæsarei reverentia, Valachorum Sacerdotes parum urbanè exagitantibus; nisi solers Pauli industria eam in Athanasio Theophili successore ab interitu vindicasset. Nihil hunc de Catholicis cogitantem sacris induxit, ut ea decessoris exemplo profiteretur, suoque, ac Albenfis cænobii sigillo ad majus robur obtinendum typis mandata, die 7. Julii An. 1698. communiret. Et habuit ea Præsulis integerrimi suum in Cleri, plebejorumque animis pondus, nec ullis seu minis, seu blandimentis eorum, quorum ditionem incolebant, adduci potuere, ut ritus antiqui normam, salutare Crucis signum, DEI paræ, Sanctorumque invocationem, recens juratam in Spiritum Sanctum Religionem Herorum suorum gratiæ posthaberent. Cujus rei sincerum non minùs, quam luculentum extat testimonium, in quo, juris etiam jurandi religione testabantur nolle se, ab
 22 unione Ecclesiæ Romano-Catholicæ re-
 cede-

„ cedere, nec ulli religioni Ecclesiæ Ro-
 „ mano-Catholicæ adversanti adhærere.
 „ Athanasius Episcopus, Archi-Diaconi,
 „ ac Clerus universus Albæ-Julix 1699.
 „ die 30. Septemb.

Quò vero hæc omnia testata magis fa-
 ceret Athanasius, Viennam concessit An.
 1700. novum impetraturus diploma, quò,
 quid *Unio* sonet, declararetur. Reducem
 Illustrissimus D. Comes Stephanus Apor
 Episcopalibus indutum ornamentis in fe-
 stivo Procerum ac symphonicorum comi-
 tatu Albam Juliam induxit, Valachorùm-
 que Episcopum Cæsaris nomine dixit,
 ac promulgavit.

Juvat hic è plurimis pauca Valacho-
 rum propria attigisse. In Sanctorum cele-
 branda memoria, temporeque, quo à
 carnibus abstinere solent, observando;
 cujus violationem rudes piaculum homici-
 dio majus esse ducunt, veteres sequun-
 tur fastos. Quatuor in anno majora ha-
 bent jejunia: Vernum ante Pascha, hebdo-
 madarum septem; ante Christi Natalitia
 alterum, unâ pauciores complectens. Ab
 octava item Pentecostes ad ipsa Divorum
 Petri,

Petri, & Pauli solennia, & à Calendis Augusti ad XIX. Cal. Septemb. carne, & quidquid lacteum est, non vescuntur. Abstinent etiam feria quarta, & sexta: hac in memoriam Salvatoris in Cruce mortem oppetentis, illa, quòd humani generis Redemptorem die a Mercurio nuncupata natum, ejusdémque mortem in Judæorum concilio decretam esse credant. Nullius ex adverso Sancti vigiliam (si prædictos Apostolorum Principes, & Domini Præcursores excipias) è Ruthenicorum fastorum ritu, jejunio venerantur, Crucis simulacrum, Deiparæ, ac Sanctorum imagines magnâ prosequuntur reverentia: Parentes vitâ functos detecto lugent capite. E vulgo complures tanta laborant incitia, ut vel Orationem Dominicam ignorent, ad Dominos & Sacerdotes minus occupatos laboribus id pertinere dictitantes. Sacerdotes diebus tantum festis & dominicis ritu græco rem Divinam faciunt, nullos ferè, si cultiores quosdam excipias, ad populum è memoria dicunt sermones, sed typis editos pro concione prælegunt, reprehenderentur alio-

qui

qui (ut ii quidem persuadere nituntur) a populo , qui persuasum habet , ea se ratione hæreses , ac diversas veræ fidei opiniones præcavere ; reipsa suam specioso hoc commento tegunt inscitiam ; plerique enim vix aliud præter ceremonias quasdam nôrunt , quam legere. Mitto cæteros gentis hujus ritus , ac consuetudines , quæ adeo in Transylvania aucta numero , propagataque est , ut Anno 1696. dum fundamenta veræ cum Religione Catholica communionis jaceret Theophilus , præter bis mille Sacerdotes octuaginta plebejorum millia numerarentur.

Athanasio vitâ functo surrogatus est Illustrissimus ac Reverendissimus D. L. B. Joannes Nemes de Patak , ritus antè Latini Sacerdos , sacris , profanisque literis apprime instructus. Quo in munere dum strenue , quâ subjectos populos contra malevolorum conatus propugnando , quâ pristinis ab erroribus ad Ecclesiæ authoritatem revocando desudat , non sine porrecti veneni suspitione moritur Anno 1727. Ingemuerunt ad Patris integerrimi obitum filii , quibus cordi erat popularium salus ,
nec

nec ante luctum abstersere, quàm novum Præfulem in Illustrissimo, ac Reverendissimo D. L. B. Joanne Klain Seminarii S. Adalberti Tyrnaviensis Alumno acciperent Anno 1729.

§. IV.

Antiquitas Religionis Catholicæ in Transylvania.

SCythiam D. Andreæ Apostoli prædicatione fuisse excultam communis est opinio, & D. tradit Hieronymus. Unde veritati consentaneum videtur nonnullos ex eorum posteris, qui tum Christo accesserant, Daciæ Religionem Catholicam intulisse. Ex vetustissimis etiam Daciæ Ripensis traditionibus accepimus, Gentium Doctorem Paulum in Valachiam, quam Transalpinam dicimus, penetrasse; cujus veritatis complura Anno 1699. supererant indicia. Adhuc enim sectarii in non mediocrem Christianæ doctrinæ corruptelam devoluti reperiebantur, qui semet Divi Pauli Apostoli Discipulos, utpote ab Apostolorum temporibus per continuam

am

am Valachorum Progenitorum feriem propagatos, nuncupabant. Sacellum etiam in pago Nemojest cum porta, fenestris, cathedra, Altari, vase lustralibus undis sacro, mirô artificio ex eadem petra efformatum, ac juxta hoc raræ molis arbor cernebatur, sub qua Doctorem gentium verba ad populum fecisse non tam illius pagi incolæ, quàm reliqui Valachi asserabant.

Collapsam sensim seu doctentium defectu, seu temporum iniquitate Religionem Catholicam in Dacia S. Nicolaus Epif. quartô à Christi Nativitate sæculô instauravit, dum teste Martino Szent-Ivanyio Miscel. Dec. 1. parte 3. Synop. 8. §. 2. „ Bosnenses, Valachos; & Moldavos ad „ Religionem Orthodoxam convertit. Unde facili conjectura assequi licet Transylvanos quoque, populum Daciæ, Myrensis Antistitis operâ rursus Evangelii lucem aspexisse. Opinionem ædes D. Nicolao sacræ, & gratus S. Ladislai Ungarorum Regis animus firmam reddunt, quô per Ungariam, annexaque Regna, & Provincias diem S. Nicolao sacrum inter festos

stos esse voluit, Decr. Lib. 1. c. 38. non tamen accedente Summi Pontificis suffragio feriarum honore caret, ac celebritate.

Nicolao cælis recepto Anno 326. evulsus Dacorum animis idolorum cultus assiduam virorum Apostolicorum sollicitudinem requirebat, ne, quod inutilibus herbis olitorum negligentia evenire solet, succresceret iterum, propagareturque. Eorum è numero S. Nicetam Episcopum fuisse scribit in Annalibus Baronius ad Annum 397. quem magni Apostoli insignit nomine, quod Bessas, Getas, Scythas Dacosque, pulsas vanarum superstitionum tenebris, sacris Christianis reddiderit. Hunc in Dacia mortem oppetiisse Romani Martyrum Fasti testantur; hæc enim die 7. Januarii referunt: „ In Dacia S. Nicetæ Episcopi, qui feras & barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit, ac mansuetas. Vero etiam simile videtur Sanctorum Episcoporum alterutrum Episcopatus Agenfis & Milkoviensis fundamenta jecisse, quod Dissertationi Paralipomenicæ rerum memorabilium Ungariæ inseruit Martinus Szent-

„ Ivanyi S. J. „ Transylvaniensem Diœ-
 „ cesim antiquissimis temporibus, & lon-
 „ ge ante tempora S. Stephani Regis di-
 „ ctam Agensem & Milkoviensem. S. i-
 „ tem Nicetam fuisse Dacorum Episcopum
 circa A. C. 396. ex Annalibus Romanæ
 Ecclesiæ asserens. Catalogum ibidem te-
 xuit Episcoporum Transylvaniensium ab
 Anno 1262. ad annum usque 1697. unde
 non obscure cum Melchior Inchoffer An-
 naliū Ungaricorum scriptore conjicias
 Acta Dacicæ Ecclesiæ ad Divi Regis Ste-
 phani tempora pauca admodum fuisse mo-
 numentis consignata, aut temporum inju-
 riâ interiisse: Antiquatam fuisse Diœce-
 sim, & Dacos ad Idolorum cultum rever-
 sos vel inde manifestum fieri videtur; quod
 eam D. Stephanus, primus Ungarorum
 Rex, ejecto simulacrorum cultu, Christo
 cæperit instaurare: ita enim Melchior In-
 „ choffer Soc. JESU ad An. 1003. „ S.
 „ Stephanus Rex Transylvaniam Christo
 „ peperit, populique omnes eundem Da-
 „ ciæ tractum incolentes, metu, an spon-
 „ te, religioni manus dederunt, prima-
 „ que cura maxime pii Regis Stephani
 fuit

„ fuit Ecclesiam Christi in vasto, & opu-
 „ lento fundare Principatu, & Antistitem,
 „ qui Religioni formandæ, ordinandæ-
 „ que præesset, constituere. Et certe sta-
 tim à confecto cum Bulgaris prælio, Cea
 eorum Duce interfecto, ditissimæ Regio-
 ni, in qua bellum gestum fuerat, Ducem
 Religioni Catholicæ addictissimum Zoltan
 dictum, Proavum suum præfecit, gemi-
 noque in Reipublicæ tutelam Episcopatu
 restaurato Transylvaniæ consuluit.

Interea dum Albæ-Julis impensis D. Re-
 gis Stephani, è fani honoribus quondam
 Antonini Pii, & Julis Matris, sub Jovis
 & Junonis nomine ab Ulpio Mutiano Du-
 ce Legionis XIII. erecti ruderibus assur-
 geret, Transylvania tota ditioni suberat
 Archi-Episcopi Strigoniensis: postea verò
 Episcopatu Colocensi in Archi-Episcopa-
 tum evecto ita rem partiri placuit, ut Al-
 ba-Julienfis septem complexa Comitatus:
 Albensem, Hunyadiensem, Colosiensem,
 Dobocensem, Belső-Szólnokiensem, Tor-
 densem, & Küküllóiensem, Colocensi sub-
 esset, Milkoviensis verò Siculiam; & se-
 ptem Saxonum Civitates Cibinium, Clau-

diopolim (cui subinde Szász-Városinum substitutum est) Bis tricium , Coronam , Medgyesinum , Segesvarinum , & Szász-sebesinum continens , Archi-Episcopum Strigoniensem Metropolitē agnosceret. Qua de re hæc Georgius Haner scriptor Lutheranus ex manuscriptis vetustissimis suæ de Transylvanica Ecclesiæ historiæ inseruit.

„ Ecclesia post Albensē prima erat ,
 „ quæ ad perfectionem veniebat , Milko-
 „ viensis , cui etiam Episcopatus officium
 „ concredebatur , reliquæ his duabus sub-
 „ jiciebantur : unde etiam factum , ut to-
 „ ta Transylvania antiquitus duos Epif-
 „ copos haberet , Albensē , & Milkovi-
 „ ensē , quorum ille Archi-Episcopum
 „ Colocensē , hic Strigoniensē agnos-
 „ cebat Metropolitanum. Qua verò rati-
 „ one post Albensē Episcopatum primam
 „ ad perfectionem venisse Milkoviensē
 „ Ecclesiam asserat , non video , utpote
 „ quam multò ante Divi Regis Stephani
 „ tempora extitisse Bullæ Summorum Pon-
 „ tificum Bonifacii IX. & Pii II. probant :
 „ nisi temporum iniquitate collapsam , flo-
 „ ren-

rente jam Episcopatu Albenſi reſtaurata intelligat.

Rurſus Annô 1342. eversa funditus, deletaque per Tartaros Milkovia, Episcopatus vetuſtiſſimus antiquatus adeo eſt, ut ſedes etiam ejus è memoria hominum exciderit, cui proinde jure illud Poëtæ occini queat: *Nunc ſeges eſt, ubi Troja fuit*: Jura tamen Episcopalia Pontificis ac Regis juffu ad ſacratiorẽ Cibiniẽſium Sacerdotum Senatũ ſunt translata. Numerabat id temporis ſacrum illud Canonicoꝝ collegium Sacerdotes omnino vicens, & quatuor, è quorum numero munere Vicario unus Archi - Episcopi Strigoniẽſis fungebatur. Ædem perquam magnificam Exaltatæ dicatam Crucis, aris numero Sacerdotum æqualibus inſignem, & ampliffimis dotatam poſſeſſionibus annexam habuit. Totidem Episcopatus Albenſis in ſacratiore Senatu viros numeravit, Baſilicamque D. Michaëli Archangelo ſacram à D. primũ Stephano fundatam, à Joanne deinde Hunniade reſtauratam, amplaque dote inſtructam poſſidebat. Stetit geminæ huic baſi

innixa Religio Catholica, & sine ullius hæreseos labe integra, illibataque per quinque omnino sæcula perseverabat: afflictæ demum quæ intestinorum, quæ externorum hostium tumultibus, gemino Episcopatu erepto, illa quoque nutare cæpit, ac pravis vitiata opinionibus emori pene videbatur. Vivit tamen, quæ DEI, Divinæque Matris in nobilissimam patrimonii sui portionem est providentia, viresque indies colligit virorum Apostolicorum industria, seque jam parte sui restitutam Cæsareis subnixa Aquilis gratulatur. Juvat tamen hic calamitati Religionis Catholicæ ingemiscere, quantasque in angustias toti olim Provinciæ dominans sit redacta, ex Patriæ legibus ostendere. Postremo inter receptas fuisse loco illud certissimo est documento, quod cum omnibus Episcopum per regni statuta habere liceret, unis id negatum sit Catholicis, utque Vicarius solum, isque non quem vellent, sed quem Princeps confirmaret, præficeretur, concessum. Gratia locò datum (salvo cæteris religionis usu) ut ad procurandos ægros, sepeliendos

vita functos, Sacramenta administranda
 Claudiopolim Sacerdotes admitterentur,
 Varadini, Boros-Jenó, & Debreczini a-
 ditu ipso interdicebatur. Millenorum de-
 mum Templorum dominæ tribus dunta-
 xat in locis: Monostorini, Somlyoviæ,
 & Udvarhelyini ædem sacram habere li-
 cuit. Quæ omnia etsi justissimam expo-
 stulandi præbeant materiam, ne tamen
 obductas utcunque cicatrices refricem,
 paucis commemorasse sufficiat. Episco-
 patuum alter Milkoviensis iniquo oppres-
 sus jugo gemit etiamnum: Albensis, su-
 um è cœlis defendente munus Stephano,
 operam verò suam conferente hodie glo-
 riosissime regnante Augustissimo Principe
CAROLO VI. novis indies augetur in-
 crementis. Et spes affulget longè maxi-
 ma fore, ut sub Excellentissimo, ac Re-
 verendissimo Domino L. B. Georgio Sor-
 ger, quem anno hoc Romani Sacrorum
 Præsidis, Regisque Apostolici voluntate
 Antistitem accepit, sin integra, potiori
 certe parte pristino repositum splen-
 dori boni omnes gratulentur.

§ V.

Primus Arianorum in Transylvaniam adventus.

NON multis ante Attilæ in Pannoniam adventum annis, Gothorum, & Getarum plurimi Religione Catholica imbuti Daciam incolebant; quorum pars Hunnorum exosi Imperium sedem in Mæsia & Thracia ab Ariano Orientis Imperatore Valente ea lege impetrarunt, ut Romanum propugnarent Imperium, ejusque fines ab Hunnorum incursionibus tutarentur. Trans Istrum igitur cum liberis, & uxoribus profecti, Alavivo Duce, Episcopos nacti sunt Arii dogmate imbutos, Princeps eorum in numero Ulphilas, natione Geta, literarum Gothicarum author fuit, is ipse, qui Concilio Nicæno Antistes interfuerat, hic à Catholicis desciscens sacris, Arii amplexus errores divinorum scriptorum monumenta Gothico donavit sermone, effecitque vel à sincera Religione alienus, Theodoro, & Sofomeno teste, ut rudes admodum Gothi, Getæque sacris in literis e-

vol-

volvendis studium omne collocarent, quo velut hamo capti, Arianorum simul Episcoporum sermonibus adducti, Arii sensim errores imbiberunt, nec suis definitos limitibus, in Gentiles, Daciæ præsertim Mediteraneæ incolas propagarunt: quò demum iis Authoribus pleno velut alveo pravum Arii dogma irrupit, nec ante desit habere sectatores, quàm primus Ungarorum Rex D. Stephanus, Gyula Duce debellato, rebusque seditiosis pace compositis, Transylvaniam Christo, ac Ungariæ adjecisset Anno circiter 1003.

§. VI.

Origo, & propagatio Lutheranorum in Transylvania.

VIndicatam à superstitionum tenebris Divi Regis Stephani virtute Transylvaniam prima omnium nova Lutheri doctrina sub Vajvoda Catholicis imbuto sacris Joanne de Zapolya, Stephani Ungariæ Pro-Regis, & Advigæ filio, quantumvis conatibus obsistente, tenebris iterum involvit. Rei seriem paucis comple-

ctar. Anno 1517. Martinus Lutherus gente Saxo, è Monacho Ord. D. Augustini factus novi evangelii Apostolus, postquam adversus sacram Romani Pontificis auctoritatem, Virginis DEI paræ, ac Divorum cultum, cæteraque præcipua Catholicæ Religionis capita non tam verbo, & disceptationibus palam habitis, quam libellis in lucem editis novas opiniones sparsisset audacius; quod non deessent, qui præter avitæ religionis studium avide eas arriperent, atque (ut novitate facile curiosi capiuntur animi) accerrime etiam propugnarent. Lasso biennio negotiatorum ultro citroque comitantium studio ejus libelli Cibinium, Saxo-Transylvanorum Metropolim penetrarunt. Eos curiosius cæteris volvere, studiosius lectitare Mathias Colomanus è Venerabili Canonorum Collegio publicus Sacrorum Minister, adeoque Romanæ Ecclesiæ reformandæ necessitatem in animum immittere, ut nondum elapso biennio novarum opinionum philtro imbutus à veritate deficeret, obque navatam egregiam Lutherò operam Anno 1521.

8. Aug. diem obiens Lutherani in Transylvania propugnaculi *Lapis fundamentalis*, ac alter Moyfes (si fides habenda Mathiæ Milesio, rerum id temporis gestarum scriptori Lutherano) nuncuparetur. Colomano vitâ functo successit Mathias Ramaschius, qui non minus ob propugnatam Lutheri sectam, eodem teste Milesio, *Alter Josue* à Cibiniensibus suspiciebatur. Curatorum exemplis obsequebantur cives: Viri religiosa professi instituta, ac Virgines Deo dicatæ, sive necessitate compulsæ, sive novi evangelii ad carnis voluptates accomodati suavitate illectæ, Cœnobiis nuncium remittebant, verbi Divini Prædicatores in errorum magistros transformabantur, Advenæ, Catholicis alibi sacris initiati Lutherum secuti ad civilia recipiebantur munia, excurrebant ad vicinos circum populos avitæ religionis hostes, rudemque plebeculam à Romani Pontificis, ab Orthodoxorum Sacerdotum obedientia ad falsarum opinionum commenta traducebant: Magistratus demum ipse publicæ hæreseos exercitationis, tradendæque Lutheri doctrinæ potestatem fecit.

Au-

Auxit nutantis in Dacia rei Catholicæ calamitatem luctuosus Georgii Szatthmari Strigoniensis, & Georgii Frangepani Colocensis Archi-Episcopi obitus, quorum suprema autoritate novatorum studia cohiberi potuissent. Etsi verò pares virtute, ac sanctitate Antistites, hic Paulum Tomoræum, ille Ladislaum Szalkanum nacti sint successores, qui comminationibus crebris novi dogmatis sectatores percellere, & sacra quadam detestatione piorum communione ejectos jugulare nitentur: suis item veræ fidei cultores intercesserint votis, quibus ardentissime Ludovicum II. Ungariæ Regem exorabant

„ Anno 1523. „ut Lutheranos, & eorum
 „ fautores, ac factioni ipsorum adhæren-
 „ tes, velut hæreticos, hostésque sacra-
 „ tissimæ Virginis MARIÆ pœnâ capitis,
 „ & ablatione omnium bonorum suorum
 „ Majestas Regia, veluti Catholicus Prin-
 „ ceps, punire dignetur. An. verò 1525.
 „ publica Regni Comitia in Campis Rákosi-
 „ ensibus edicto communi Lutheranos om-
 „ nes è Regno, quò tum pertinebat Tran-
 „ sylvania, extirpandos decreverint; ne ta-
 „ men

men salutaria piorum consilia proficerent, funesta cum Turcis belli dissidia effecerunt. Jam enim inde ab expugnato Belgrado Anno 1521. per utramque Valachiam late se se diffundebant, Transylvaniam depulabantur.

Et quamvis omnia rumore, timoreque belli plena essent; tamen Ludovicus Rex ut ex literis ad Ladislaum Szalkanum à Collegio Canonorum, & Vicario Archiepiscopali Petro Thonhausero datis intellexit in ædibus Joannis Csukasii viri ordinis Senatorii apertum esse ludum literarium, cantari lingua vernaculâ Symbolum Nicænum, adeoque Missam fieri Germanicam: in iisdem ædibus degere Georgium quendam Monachum ab Ambrosio Slesita Concionatore quondam Cibiniensi ex Saxonâ missum, qui in vicis finitimis ab obedientia, præceptisque Ecclesiæ populum avocet, dictitæque Evangelium annis plus quadringentis fuisse absconditum: Cibiniensem item urbem ingredi plures dogmata Lutheri profitentes: rursus Monachum alium apud Ecclesiam D. Elifabethæ esse, Joannem Surdastrum, qui ser-

moni-

monibus suis ordinem Ecclesiasticum infestatur: nullas denique decimas Parochis dari, à Marco Penfflingero Judice Regio Templum quoddam violari, è Quæstore Regio, cæterisque rem familiarem Clericorum diripi: tributa imponi, minis, ac probris omnes vexari; ùt inquam hæc, aliâque intellexit, Saxonum Judici Regio cum pœna privationis Magistratûs demandavit, literis Budæ datis pridie festi B. Mariæ Magdalenzæ, ut ejusmodi homines comprehendat, ac quemque pro gravitate culpæ castiget.

Non minori ardore Ladislaus Szalkanus Archi-Episcopus, ut invalescens luthera- num dogma in Transylvania sisteret, Decanis suæ jurisdictionis Cibiniensi, & Coronensi 15. Aug. literas dedit, quibus districtè præcepit, ut eos, qui libros Lutheri lectitaverint, emerint, vendiderint, ejusque dogmata amplexi fuerint, ac à Matre Ecclesia sese segregaverint, anathemate defigant, continuis Dominicis, festisque diebus. Decanus tamen Cibiniensis, & Parochus à pænæ promulgatione ob imminens vitæ periculum abstinere debuerunt.

runt. Aut certè (ut tempus docuit) Curio Cibiniensis, Mathias Ramaschius in malum consenserat. Tum suppresso mandato Cibinienses licentiæ fræna laxantes Lutheri affeclas peregre adventantes hospitio recipere, complecti, sustentare: quin imo Marcus Penffingerus spretò Regio, ac Archi-Episcopali decreto Georgium Slesitam vitæ Religiosæ desertorem domi suæ alere.

Hæc dum memoro, alterum ruinæ caput occurrit, ex quo non mediocrem res Christiana cladem accepit, Lutheri vero secta maximum sumpsit incrementum. Dum nempe Ludovicus II. immensis Orientis viribus bellum instruit; Antistite, majorique parte virorum, sanctissimò prædicatorum sacerdotiò, ad castra evocatis, necessario destituta præsidio, hostium longe perniciosissimorum rapinis patebat Transylvania. Fatali subinde ad Mohácsium accepta clade spes unà Daciæ cum Ludovico & Ladislao Szalkano occubuere. Hic, ut publicis comitiorum tabulis Lutheranæ sectæ homines suis cum patronis capite damnantur, bonaque ærario addicerentur, impetraverat; ut communi ordinum omnium

nium decreto severa de iis questio haberetur, effecerat; vires pene, potenti adeo cumulatus auxilio, Luthero ademerat, nisi Mohácsiensis in campo chalybs turcicus prius vitam Antistiti ademisset.

Ab immaturo Ludovici II. Regis vita longiore dignissimi ad Mohacsium interitu Joannes de Zapolya Procerum nonnullorum factione, vel (ut variant Historici) plerorumque suffragio Rex Ungariæ renunciatus Anno 1526. ac luce D. Martino sacra Regio diademate redimitus Petrum Perényi Vayvodam Transylvaniæ dixit; cujus plerumque absentis indulgentia impune Lutheri aßeclarum grassabatur audacia, profanabantur Divorum ædes, occupabantur Sacerdotum collegia, paræciæ, gymnasia, possessiones per summam injuriam eripiebantur. Cauta hæc quidem Joannes Rex, vel remotus voluit, literis ad Cibinienses Budâ datis Anno 1527. die Conversionis S. Pauli, quibus, ut novitiam religionem abjicerent, mandavit, bonorum omnium publicationem iis comminatus. Paulus item Vardanus Metropolita Strigoniensis misso inquisitore Decanum,
Curi-

Curiones, ac Religiosos Cibiniensis ditionis severe monuit, ut populares ad antiqua Sacra reducerent. At majus è Lutheri scintilla jam incendium evaserat; quàm ut eorum studio sopiretur: duorum quippe Regum Joannis, & Ferdinandi contentione in suum usi commodum Cibinienses Anno 1529. Magistratu civili, ac centumviris Lutheri dogmate infectis, mense Februario collegium Canonicorum, Sacerdotes, Deoque sacros viros, & mulieres omnes cum literarum cultoribus capitali edicto ex urbe emigrare jusserunt. Di-reptis, quæ majorum pietas æterno Numini donârat, bonis, templo etiam Præposituræ sanctæ Cruci dicato, vicenis & quatuor aris conspicuò Lutheri evangelio addicto. Illud tamen non mediocrem religioni Catholicæ commendationem attulit, quòd unus duntaxat in miserabili hac direptione ex omni Clero repertus sit Martinus Fölckerus Sacerdos, qui ne beneficium, quod in Xenodochio pinguius obtinuerat, ammitteret, ad Lutherum transiit.

Divina interea Nemesis severè in Trans-

sylvanos, Saxones præsertim animadvertit, & turpem adeo ab avita religione defectionem clade Patriæ anno eodem vindicavit. Petrus, quem alii Petrasconem appellant, Moldaviæ Vayvoda irruptione in Transylvaniam facta collatis ad Marimburgum signis, ac manibus victor, pridie festi DD. Apostolorum Simonis & Judæ, oppido Psasmariensi ignem subjecit, sequenti vero die, obsessa Corona, arce potitus est, cunctaque diripuit: inde prædis inescatus Bistricium usque procurrit, ac demum repulsus est.

Saniora, recenti hac strage admoniti, consilia capere potuerant, nisi novus error lucem, qua veritatem intuerentur, ademisset. Ademit vero eam & Coronensibus, qui Anno 1530. Cibiniensium exemplum secuti Catholicos Sacerdotes in exilium ablegarunt. Ordinis Seraphici Sodales, qui Divina ad SS. Petri & Pauli Apost. procurabant, in Csikiensem Provinciolum abire, Prædicatores templum, ac cœnobium cum septem pagis deferere coegerunt. Crevit in dies malum Joannis Honteri opera, qui posteaquam

quam cum scientiis variis, tum Lutheri doctrina plenissimus Basilea Coronam, unde ortum duxerat, rediit, ut opera sua Geographica, libellosque doctrinam Lutheri continentes procuderet, Typographiam erexit. Primus etiam in Patria è superiore loco evangelium Lutheri promulgasse fertur, reclamante matre, filiumque diris devovente. Vulgatis libellis catecheticis, & Augustana confessione, abrogato item privato Missæ sacrificio, sacram cœnam sub utraque specie administravit, ludumque literarium aperuit, frustra obnitente Paulo Bencknero Archi-Presbytero ab urbe relegato.

Anno 1542. Bistricienses quoque cives ad Lutheri dogma transierunt, duce Matthæo Teitschero, sacri cujusdam Ordinis desertore. Aliis item Saxonum civitatibus avita sacra profitentibus interdictum.

Hæc erat, regnante Joanne Zapolya, luctuosa Daciæ conversio, hæc sectæ Lutheranæ propagatio. Nunc ad ea, quæ ejus mortem consecuta sunt, gradum facio. Joannes Rex ubi Anno 1540. fato

se proximum sensit, Georgium Martinusium ex Ordine D. Pauli primi Eremitæ, Episcopum Varadiensem, & Petrum Vichium, seu Petrovichium sibi sanguine junctum tutores filio Joanni Sigismundo, & Isabellæ Reginae constituit. Meliora, tutore tanto Præsule Martinusio, quem Anno 1550. ob navatam in Dacia operam Archi-Episcopatu Strigoniensi donavit Ferdinandus I. Julius vero III. ostro Romano insignavit: meliora inquam pollicebatur Dacia; at brevi per cædem sublatus, authore parricidii Castaldo, locum in aula cessit Petrovichio, quem dum viveret, æmulum semper experiebatur. Martinusii crediderim consiliô, statim atque Albæ Juliæ sedem fixit Isabella, Lutheranum dogma profitentes ad conventum evocavit, interque reliquos Honterum cum nonnullis e Senatu Coronensi; quo, cum existimaret Honterus maximum se discrimen aditurum, collegam sibi suffecit Mathæum Calvinum, exemplo doctus æditui Varadinensis, in quem Martinusius graviter animadverterat, quòd mulieri ante quandam

ima-

imaginem de genibus preces fundenti colaphum impegisset. Verum nihil pene in eo conventu pro Religione sancitum est: Quantum enim Martinus Lutheri affectis adversabatur, tantum illis Petrovichius patrocinebatur, quin etiam illata vi templis ac aris, animos addebat. Et Cibinii quidem Joannes Surdaster pertinacissime Lutheri sacra procurabat, Honterus, exacto Decano, possessiones Ecclesie ereptum ibat, Valentinus vero Wagnerus ad inescandos Græcos rudimenta novelli cultus DEI Græco sermone vulgabat, incitante ad hæc audenda Petrovichio. Hic animo audax, ingenio versutus, voluntate partem in omnem mobilis, qui à Catholicis primum sacris clam ad Lutherum defecerat, demum Arianum dogma palam profitebatur; postquam Paulum Bornemisza Episcopum Albensem, strenuum adversus hæreses Religionis Propugnatores in Ungariam rediisse animadvertit; quod Transylvanice possessiones Episcopatus, & Ecclesiarum patrimonia, Isabellæ rem gratam facturi, eripuissent: ejectis passim (Flori-

mundo Raymundo teste) legitimis sacrorum Ministris, ac viris DEO dicatis, facultates eorum Regio ærario addixit, suo cumprimis intentus peculio, quo fortunas proprias alienis per summum nefas locupleraret. Parum Petrovicfio videbatur erepta miseris fortuna, nisi fama quoque ac existimatio ignominia notaretur. Crucem igitur virorum Numini devotorum frontibus inuri, cutem unà & carnem è coronatis, cultuque ac veneratione dignissimis Sacerdotio initiatorum verticibus, si quos pro jure & æquo obstantes reperisset, auferri jussit: duplici insignis latrocinio, bonorum, & famæ. Quibus omnibus si talionem hodie reddere liberet, non deesset fortassis remetendi facultas: sed nimirum Religionis Catholicæ proprium est, injuriis vicem non reddere, aut easdem beneficiis etiam compensare.

Verùm detestanda hæc Petrovicfii tyrannis, Orthodoxorum ferventioribus incitamentum fuit ad Religionem Catholicam generosius propugnandam. Qua in re dum cæteris studiosius è sacro Canon-

corum

corum Albensium Collegio sacerdos desudat, inventamque reddendæ felicitati pristinæ rei in Dacia Catholicæ rationem Ferdinando Regi porrecturus Viennam contendit, Colos-Monostorini quiescens ab insidiatoribus hæreticis, spiritu pulvinis intercepto suffocatur. Franciscus Athletæ gloriosissimo nomen, solum natale vetus Transylvaniæ Urbs Medgyesinum. Vitæ instituto Sacerdos, sacra Christiana Musnæ procurabat; unde à Lutheranis exactus Vicarii Episcopi Albensis munere fungebatur, nomenque Antistitis Transylvaniæ, Martinusii ad tiaram Strigoniensem vocati suffragiô obtinuerat. Demum piis conatibus intermortuus Præsul integerrimus, Religionis Catholicæ veritatem occasu glorioso posteris testatam reliquit. Sepultus Colos-Monostorini in Templo Virg. DElparæ in Cælos Assumptæ ante aram majorem. An. 1553. Dignus enimvero Christianus pugil, in tanta virorum etiam sacratorum corruptela nulla unquam hæreseos labe vitiatus, odio vero fidei interemptus, ea in æde tumulari, quæ profanatis cæteris per Tran-

sylvaniam delubris, intacta semper, inviolataque permansit. Qua de re gloriantem non invenuste expressit ævi nostri Poëta, dum cecinit :

*Cætera nupserunt peregrinis culmina sponfis,
At de me laudem nullus adulter habet.*

Non longo à Francisci obitu intervallo, Lutheri quoque secta fautorem amisit Petrovicium, Claudiopoli septuagenarium naturæ concedentem Anno 1557. Hæredes Isabellam Reginam, & pupillum Joannem Sigismundum scripsit; beatam occasione suo redditurus Daciam, si nullos opinionum suarum hæredes reliquisset. Superfunt verò etiamnum copiosi, ad quorum propagationem gradum facio.

§. VII.

Ortis, & propagationis Unitariorum modus, & occasio.

ARii sectam, quam Divi Regis Stephani temporibus in Transylvania sepultam diximus, initio sæculi decimi sexti rursus excitavit Michaël Servetus, medicus Tarraconensis. Varia subinde à

variis ejus sectatores fortiti sunt nomina: Servetiani à Michaële Serveto dicti, qui peregrinum Arii dogma ex Africa in Hispaniam, & Galliam intulit, demum Genevæ captus, erroris sui tenax vivus crematus Anno 1553. Tritheitæ à Valentino Gentile, quod trium in Divinitate Personarum loco, Deos totidem profitererur. Hic Bernæ Helvetiorum Anno 1565. capite plexus pertinaciæ pœnas dedit. Davidistæ à Georgio Davide, Basileæ An. 1558. flammis exusto. Sociniani denique à Lælio, & Fausto Socinis, quorum ille Samosatenum ab orco revocatum Pelagio sociavit, hic Lælii doctrinam Basileæ à Sebastiano Castilione explicatam audiens in eandem abiit sectam.

Servetus inter varios suscitatae hæreseos alumnos fidelioem cæteris nactus est Georgium Blandratam, Pedemontanum, qui è Ticinensi sacræ inquisitionis custodia Genevæ primùm, inde in Helvetiam, Germaniam, Poloniam, demum in Transylvaniam elapsus artis medicæ beneficiô, ac Petrovichii ope in aulam Joannis Sigismundi etiamnum adolescentis

penetravit An. 1551. Clām primò quidem irreperat ob Isabellæ Reginæ metum, atque adeò ipsius Solymani Turcarum Imperatoris, qui id temporis Joannem Sigismundum in solium Transylvaniæ reponens, novis religionibus pacem turbare solitis aditum præcludi omnino jusserat: iis vero extinctis libere adeo peregrinum dogma sparsit; ut Proceres, ipsumque Sigismundum non modo ad patrocinium aperte suscipiendum, verum etiam ad doctrinam palm amplectendam induxerit.

Sic Arii redivivus error in Transylvaniam est invectus, cui Blandrata facturus accessionem, Faustum Socinum Basileâ evocavit Anno 1560. Paulum vero Alciatum, Gentilem, Sylvanum cum non paucis è Calvinii secta ad Arii dogma traductis socios errorum nactus assumpto Unitariorum nomine, quod Arii memoria exosa foret, jus Typographiæ, ac scholarum Albæ-Julis obtinuit, cui ab An. 1560. præficiebatur Paulus Julianus. Conscripta protinus adversus sanctissimam Trinitatem volumina, corrupti sacri codices, & varias

rias in linguas non sine mendis converſi Ungaricam præfertim, ut viritim à populo legerentur, Ariique virus facillimè ab incautis aureo ſacrarum literarum calice propinatum biberetur: Typis editi, præfixo Joannis Sigismundi nomine vulgabantur. Nec ſpem feſellerunt novatorum molitiones: ut enim nihil de mobilis fidei hominibus Arii lepra infectis, nihil de Calvini aſſectis in ejus dogma traductis, nihil de cæteris urbibus illius opinione imbutis dicam: adeo nova hæc ſecta Claudiopolim occupaverat, ut è Lutherana in Arianam abierit, eque Saxonicarum urbium numero, ſurrogato Száfz-Vàraſino, deleta ſit. Ipſe quin imò Tranſylvaniæ Princeps, & ab ejus conſiliis conſtituti (ut refert locupletiffimus rerum Ungaricarum ſcriptor Iſtvanffius) Nicolaus Chaquius, Stanislauſ Nisovius, Joannes Salancius, Gaſpar Bekeffius, penes quos ſumma rerum erat, Blandratæ dolis circumventi Arianæ ſectæ non tam fautores, quam complices ſunt effecti.

Graviſſimis interea Divinum Numen ab iſis laceſſebatur convitiis, nec deerant, qui
ſeſe

sese ferrô & igne Trinum è Transylvania
 DEum exacturos ore nefario affirmarent.
 Ausus etiam Anno 1570. Albæ-Julix sum-
 mæ inter suos authoritatis Franciscus Da-
 vidis reos criminis pronunciare, quotquot
 humani generis Redemptorem DEI Fili-
 om invocarent, non secus, ac qui DEI
 Matrem, aut SS. Petrum, & Paulum ob-
 testarentur. Verùm triumphavit de convi-
 ciatore DEI Filius; impudentiæ condem-
 natus Devenfi in arce carceris miseris,
 ac fordibus confectus animam Arii labe in-
 quinatam exhalavit. Joannes quoque Si-
 gismundus paucis mensibus à Davidis U-
 nitariorum (ut vocant) Superintendentis
 obitu, neutiquam revocatis sancitis, qui-
 bus immissa in Transylvaniam Lutheri,
 Calvini, Ariique evangelia toleranda præ-
 ceperat, longis conflictatus doloribus, qui
 suspicionem veneni porrecti creaverant,
 nullo ferè familiarium admisso, in conspectu
 Blandratæ, Hagymasii, aliorumque Arii
 sectatorum Albæ-Julix cælebs obiit An-
 no 1571. cùm annum ætatis compleisset
 primum supra tricesimum. Corpus Ariano-
 ritu ad D. Michaëlis delatum in marmo-
 reo

reo sepulchro conditum est. Ita cum eodem hæredis experte stirps Zapolyiana interiit, *factaque est Transylvania* (Mathiæ Milesii sunt verba) *errorum omnium nidus, & domicilium.*

Principem secutus est medicus Blandrata An. 1583. qui, nescio quid horrendum inclamans cum accurrenti nepoti Religioni Catholicæ addictissimo vocem, & animam intercludere conatur, ab eodem senex capularis folliculô fabulis plenô, qui fortè aderat, interficitur.

Respirare ab horum obitu sub Catholicis Principibus Stephano, & Christophoro Bathoriis videbatur Transylvania, accita JESU Societate eô potissimum consilio, ut renascentis sectæ incendium extingueret. Verùm magnam paucis post annis vexandæ religionis facultatem dedit infirmus admodum Sigismundi Bathorii animus, eo præsertim tempore, quô Moysen Siculiæ Principem Arianum auxilio contra Rudolphum Cæsarem vocavit. Is enim mox ab abdicato Sigismundi Principatu patentibus portis ab Ariano Magistratu Claudiopolim admissus ea lege, ut de
Soci-

Societatis Collegio civium arbitrato statuere liceret; domicilium, ædemque sacram antiquo in DEI Filium, ejusque defensores odio incensorum Arianorum immanitati cessit. Primus eorum furor in templum se effudit, ubi, maledicâ prius confixa linguâ, deturbata DEI paræ, Divorumque simulacra, everfæ aræ, in Sanctum ipsum Sanctorum sacrilegæ injectæ manus, mysteria sacrosancta nefario pede conculcata. Non tulit execrandam impietatem ædis sacræ Custos Emmanuel Niger, quam dum in medium irruens furentium agmen cohibere conatur, impactam fronti securim excipiens, & plumbea glandè transfixus occumbit. Felix morte sic opæta, dum Christi divinitatem, & cœlestis mysterii veritatem propugnat. Nec solus Arianorum furorem excepit Niger: à templo in collegium convolantes hos cædunt, illos vulnerant, cæteros maledictis laceffitos, æquatis solo tectis exturbant, stolide gloriantes plurium Deorum cultores urbe sua pulfos.

Sed non impune scelus Arianis stetit: Moyfes duplici prælio victus in acie cecidit,

dit, Claudiopolis tertio post mense, quam in hostium potestatem venerat est recepta, Senator nefarii author fœderis ex infelici arbore suspensus, everfarum denique ædium loco alia in urbe domus Societati data, Sacrilegi in carcerem coniecti, quos egregie ultus est P. Joannes Argentus Præsidis Provinciæ Societatis JESU vices gerens; evicit enim apud Georgium Bastam Belliducem Cæsareum, ut omnibus parceretur. P. verò Majorius Collegii Rector induci nunquam potuit, ut sicarium à quo gravissimum vulnus acceperat, quamvis probè cognitum indicaret.

Variis exinde vicibus Arii secta in Dacia excepta, & sub Principibus quidem Austriacis nunquam non infelicissimis, plerumque aliàs secundis. Statim certè à subiecta Rudolpho II. Transylvania An. 1603. diffugientibus Claudiopoli Arianis rediit sua Catholicæ Religioni libertas, restitutum augustum Divi Michaëlis Templum, publico, privatoque religionis usu Arianis iuterdictum. Ab anno verò 1605. quo ad Principem heterodoxum devoluta est, amicam semper fortunam experiebatur, donec

donec post continuam duodecim ejus se-
ctæ Principum seriem victricibus Aquilis
LEOPOLDI I. gloriosissimi Romanorum Im-
peratoris cessit Anno 1687. Tunc enim
verò alterum quoddam religionis dilucu-
lum diuturam noctem excepit, quod non
mediocrem sub Augustissimis Magni LEO-
POLDI Magnis Filiis JOSEPHO & CAROLO lu-
cis accepit accessionem, adeo, ut quam
si non superiorem, parem certe reliquis in
Dacia receptis religionibus intuebamur,
minimis hodie pollere viribus experiamur.
Et spem facit invicta Augustissimi Princi-
pis, quæ longæva sit, Fortitudo & Con-
stantia, ut fugato Ariò sua DEI Filio re-
deat reverentia, & plenior orbi Dacico
meridies illucescat.

§. VIII.

*Initia & progressus Calviniano-
rum in Dacia*

JOannes Calvinus Novioduni in Picardia
natus Anno 1509. ubi ætate adolevit,
ad condiscendas humaniores literas parisi-
os missus novas opiniones à Roberto Oli-
veta-

vetano haufit, Bituricis vero, quo ad comparandam Juris Civilis, ac lingvarum cognitionem abierat, familiaritate Melchioris Volmar mentem amplius erroribus imbuat, sacro demum Canonorum Collegio adscriptus diuturna inter Lutheri cum Zvinglio diffidia novas elucubravat institutiones, vel potius antiquas congeffit, quas gallicam in lingvam converfas Francisco I. Regi Christianiffimo infcribere veritus non eft. Parisiis detectis molitionibus e supremi Magistratus, ad tuendam avitam religionem, novas vero abolendas intentiffimi manibus linteorum beneficio elapfus Engolismum fe recepit, inde in Germaniam excurrit, quem ubi Erasmus de controverfis Religionis quæftionibus differentem audiit, ita de eo vaticinatus fertur:

„ Video quod juvenis ifte periculofam
 „ parturiat peftem, quæ aliquando ma-
 „ gnam in Ecclefia pariet perturbationem.
 Pictavium fubinde digreffus, difcipulos (ut proni ad res novas amplectendas mortalium funt animi) e Juris Doctoribus, aliisque levis animi hominibus copiofos nactus eft; quos inter non defuere fuperfti-

D

tio-

tiose adeo novæ doctrinæ addicti, ut abdicata, quam gerebant provincia, quadam velut jurisjurandi religione semet obstringerent ad eam latius in regnis ac urbibus, in vicis ac oppidis disseminandam.

Horum e numero cujuspiam opera Calvini hæresim circa Annum 1552. in Transylvaniam irrepsisse non vana vel inde est conjectura, quod errorum Lutheranorum ministri concilium ea tempestate celebrarint, cujus inter statuta Sacramentariorum (ita Calvini affectas vocitabant) art. 4. his verbis meminerunt: „ De articulis controverfis contra Pontificios, Sacramentarios, Anabaptistas, Anti-Trinitarios, & similes veram sententiam ostendant, ac testimoniis confirment. Unde non obscure conjicias Sacramentariorum sectam circa annum 1552. quô synodus illa celebrata est, in Transylvaniam penetrasse. Novatorem vero, cujus operâ est inventa, monumentis dudum consignavit Florimundus Raymundus L. 4. c. 2. „ Non multo post multiplicatos (inquit ille) Anti-Trinitarios Gallus quidam nomine & natione Calvinismum apportavit, adjunctus

„ tus a Mathia Deneio , & aliis quibus-
 „ dam excucullatis Apostatis.

Majorem cæteris ruinam avitæ religio-
 ni intulit Petrus Melithus , qui religiosa
 primum instituta secutus , deinde a Catho-
 licis desciscens sacris , Debreczini , urbe
 Calvino tota Ungaria maxime obnoxia , er-
 rorum præconem , & reformati evangelii
 Præsidem (Superintendentem vocant) ali-
 quamdiu egerat , Inde Transylvaniam pe-
 tens majorem brevi Ungarorum , atque Si-
 culorum partem Calvini dogmate inbuit ,
 in ejusque partes callide traduxit.

Copiosa inter hæc in Ungaria procre-
 verant zizania , quibus ut insignis Nova-
 torum fautor Petrovichius Transylvaniam
 sæcundaret , Martinum Kalmansehium
 gnavum eorum seminatorem induxit An-
 no 1557. Controversam illico de salutari
 lavacro doctrinam vulgare , veterem sa-
 cro fonte abluendi ritum abrogare , nova
 ratione baptismo initiare. Fertur in publi-
 ca urbis via his a vera sacri lavacri norma
 longe alienis verbis aquâ linctri infusâ in-
 fantes abluisse: *Hæc est libertas Christiana.*
 qua de re videre licet Hanerum de Tran-

fylv. Eccl. L. 4. Nimirum ut religionis re-
 formator ex vero audiret, veterem, & jam
 inde ab Authoris Christi, Apostolorum-
 que temporibus receptum sacrorum mo-
 rem innovare oportebat. Non minori de sa-
 cro-sancto Eucharistiæ mysterio palam no-
 vum dogma seminabat, damnandam alte-
 rius speciei prohibitionem, panis vero &
 vini conversionem omnino non admitten-
 dam pronuncians. Et hæc quidem horum-
 que similia per Kalmansehium jacta fuere
 novæ doctrinæ semina, quæ tamen, ne
 radices egisse, nedum in sementem excre-
 visse videre potuit An. 1558. morte ex-
 tinctus. Hanc, ne ruborem novatoribus
 inducam, habeantque, cur sincero scripto-
 ri succenseant, silentiô potius involven-
 dam duxi. Si quem tamen Kalmansehii
 errores, mortisque rationem legendi cu-
 pido incessit, scriptorem adeat Luthera-
 num Georgium Hanerum Annal. Eccl. Tran-
 sylv. L. 4.

Varix deinde variorum e Calvinii asse-
 clis studio enatæ opiniones, quæ regni
 Primoribus a religione etiam Catholica ali-
 enis occasionem præbuere, ut de pertur-
 bata

bata regni tranquillitate publico in confes-
 fu cum Joanne Sigismundo expoſtulant.
 Audiit Princeps fuorum querelas Proce-
 rum, & ne deinceps audiret, An. 1564.
 his per Blandratam fuum (egregium ſci-
 licet Fecialem, qui nuper inimicam paci
 doctrinam in Tranſylvaniam invexerat)
 perſonatum Enyediense concilium conve-
 nit :

„ Joannes II. Dei gratia electus Rex Un-
 „ gariæ &c. in præſenti ſynodo Enyedi-
 „ enſi conſtitutis ſalutem & favorem. De-
 „ legavimus ad præſentem ſynodum cum
 „ pleno mandato, & authoritate noſtra
 „ hunc præſentem noſtrum Excellentiffi-
 „ mum Georgium Blandratam Doctorem
 „ noſtrum phyſicum virum gravem, eru-
 „ ditum & in ſacris literis non mediocri-
 „ ter verſatum, ut colloquiis, & diffe-
 „ rentiis veſtris *de Cæna Domini*, conci-
 „ liandis interſit, & univerſas rixas ver-
 „ gentes in civiles tumultus, ac diſſen-
 „ ſiones in ipſa ſynodo pro viribus ſeda-
 „ re, & compeſcere ſtudeat, atque hac
 „ occasione odia, injuriæ, contentiones-
 „ que inter eos, qui veterem priorum

„ Patrum assertionem, & verum judici-
 „ um pro manifesto verbo DEI sequentes
 „ præsentiam Corporis Christi affirmant,
 „ ac inter eos, qui diversam intelligen-
 „ tiam ex verbis cœnæ eruunt, sopian-
 „ tur, & subsidunt, ut in Ecclesia DEI
 „ floreat vera pax, & concordia. Statu-
 „ imus omnino magis e re futurum, si
 „ scripto utraque pars suam assertionem
 „ proponat; ita enim arbitramur fore, ut
 „ tum jurgia, tum convitia, quæ non-
 „ nunquam ex incandescentibus hominum
 „ affectibus subnasci consueverunt, tol-
 „ lantur, ac præter offensionem, ac scan-
 „ dalum infirmorum veritas elucescat. Plu-
 „ ra his de Religionum conjunctione adje-
 „ cit, quibus opportunum fore affirmabat,
 „ ut secta quævis virum sibi gravem ac eru-
 „ ditum præficeret, cujus imperio subjecti
 „ ritu cuique dogmati proprio gubernaren-
 „ tur. Verum procellas opinionum diversi-
 „ tate suscitatas adeo non extinxit, ut in-
 „ nata potius odia ad impetendam religio-
 „ nem Catholicam inflammaret. Remittere
 „ hæc paululum An. 1571. Joanne Sigis-
 „ mundo fati sublato, duorum mox piissi-
 „ morum

morum Principum Bathoreorum auctoritate in favillas pene abire cæperunt: Nequaquam tamen lustrorum plurium intervallo ita sopiri potuere, quin novas aliquando flammæ conciperent, nec medio-crem Religioni Catholicæ ruinam adferrent. Nutare hæc iterum sub Sigismundo Bathorio cæperat An. 1588. auctis Novatorum viribus exacta e Provincia JESU Societas, cui unice Religionis moles innitebatur: revocata iterum, iterum pulsa, ac (ut quædam religioni cum regnorum fortuna intercedit necessitudo) crebras inter Reipublicæ inclinationes florebat una, jacebatque, perturbabatur, aut tranquilla consistebat.

Nova demum rebus turbatissimis lux affulsisse videbatur An. 1603. Sigismundo Bathorio in Boëmia vitâ functo. Ab ejus siquidem obitu, & Cardinalis Andreæ Bathorii cæde Rudolpho II. Romanorum Imperatori parere iterum cæperant Transylvani. At Procères, quibus alienus ab Austriacis erat animus, spes lætissimas brevi succiderunt: pulsô quippe Turcarum, ac seditiosorum manu Georgio Ba-

sta , qui Provinciam Rudolphi Cæsaris nomine procurabat , Stephanum Botskaium Sigismundi Bathorii propinquum Calvinii erroribus addictum in Principem inaugurarunt An. 1605. Hujus quam maxime Principis studio in vecta in urbes , universamque Provinciam Calvinii secta , defensa , ac propagata , continua deinde successione ejusdem sectæ Principum , annis facile octoginta Daciam gubernantium ea sumpsit incrementa , quæ tempestate felicissima calamitosissimis succedente Virorum Apostolicorum conatus labefactare potuit , profligare non potuit. Dominatur etiamnum latissime , Magistratibus decorata amplissimis , ædes DEI , Divorumque honoribus olim excitatas , dein injuriâ temporum Catholicis ereptas possidet quam plurimas , alienis denique locuples fortunis receptas inter religiones florentissima clarum posteris exhibet documentum : facilius errores illabi , quam extirpari.

§: IX.

Ingressus Anabaptistarum in Transylvaniam.

Germanam Anabaptistarum originem fuso dudum calamo Florimundus Raymundus de Ortu, Progressu, & Interitu hæresum adumbravit: nobis aliunde paucula delibasse sufficiat; neque enim copiosius eorum originem explanare: sed qua duntaxat ratione, quove tempore in Transylvaniam irreperint, institutum est referre. Anabaptistarum errorem (id nominis inditum nonnullis a religione Catholica alienis, quod ante rationis usuram lustralibus undis ablutos, sacro iterum fonte initiarent) a Luthero alii, alii a Zvinglio, a Carolstadio denique alii renovatum scribunt Anno circiter 1521. Natales vero ad prima Ecclesiæ reducunt tempora, quibus Marcionem, Novatianos, & Donati asseclas salutis aquas iterasse vetustissima testantur monumenta. Illud omni vacare dubitatione videtur: latius eam pestem a Thoma Müntzero, & Nicolao Storchio fuisse propagatam, qui homines agre-

stes in Germania collectos adversus Principes armarunt, DEum novissimis temporibus novum moliri regnum mentiti, in quo deletis Gedeonis gladio, quem sibi concreditum affirmabant, impiis (Principes, Episcopos, Magistratusque cæteros indicabant) soli justi, sanctique regnarent.

Summa pestilentis eorum doctrinæ fuit: infantium baptismum ab humanæ salutis adversario dæmone institutum esse, quare adulta ætate recens tingendos; persuasum quippe habebant, neminem rite baptismo initiari, nisi qui per se fidem profiteretur. DEi præterea voluntatem somniis, visionibus, inspirationibusque manifestam fieri asserebant, sacros proinde codices verbum DEi esse inficiabantur.

Primum vesani dogmatis domicilium in urbe Monasteriensi collocatum An. 1524. & Joannes a Leiden farcinator Batavus Rex a fanaticis proclamatus est. Inde se-
ceta in Hollandiam, mox in Angliam & Helvetiam non sine religionis avitæ pernicie transgressa cum seditionibus imple-
ret omnia, solum vertere cogitur. Pere-

grinæ aliquamdiu hæresi Moraviam confinem Ungariæ Poovinciam avaritia reservavit: ubi coëmptis magno ære domiciliis, ac possessionibus rem communem Jacobo Huttero, & Gabrieli Scheldingo procurandam novatores demandarunt.

Etsi vero quieti interea communi e penu viverent, fociorum alibi tumultuantium casibus coërciti; non tamen emissariis caruere, qui vicinis in regionibus dolo ac illecebris fideles irretirent; qua opinor ratione in Ungariam quoque influxerint.

At non diu Sanctorum sedem profanis incolere licuit: pupugit enim nova lues Ungarorum animos, sollicitudinem auxit, studia de avitæ religionis integritate vehementer intendit. Quare collatis Posonii An. 1550. consiliis uno ordinum omnium consensu quinto loco decretum: „ Religio „ ad pristinam normam redigatur, & hæ- „ reses undique tollantur. Et paulo post: „ Anabaptistas, & Sacramentarios, qui „ adhuc in regno supersunt, procul de- „ pellendos esse de omnium bonis, nec „ amplius ullos, aut quempiam illorum „ intra fines regni esse recipiendos. Pari dein-

„ deinceps fervore in hæreses definitum:
 „ Enitendum esse omnibus ut sancta Ca-
 „ tholica Fides juxta veterum Sanctorum
 „ Patrum doctrinam ubique in regno re-
 „ stituatur, avulsis undique hæresibus:
 „ Anno denique 1556. hæc in tabulas
 „ sunt relata: Anabaptistæ omnes intra
 „ spatium quatuor hebdomadarum sub gra-
 „ vissima indignationis Regiæ Majestatis
 „ pæna e regno penitus ejiciantur. Quo
 demum coacti imperio, Ungariam reli-
 querunt.

Beatior exules fortuna in Transylv. ex-
 cepit: Fautorem quippe nacti Gabriel.
 Bethleen Transylvaniæ Principem, qui
 bellica inter dissidia contentione summa
 Angelicam Ungariæ Coronam exambiens,
 posthabitis Ungarorum statutis, asylum
 nova hæresi infectis aperuit, ob eximi-
 amque artium illiberalium notitiam in op-
 pidis Vintz & Borberek, uno ab Alba-
 Julia milliari distitis domum ac fundos as-
 signavit, quos etiamnum nidos erroris
 sui tenacissimi incolunt, propu-
 gnantque.

§. X.

*Sabbathariorum in Transylvania
origo.*

ANabaptistis Sabbatharios subjicio, sic dictos, quod neglecta diei Domini reverentia, sabbathum Judæorum more colant, suilla non vescantur, eo insuper infames quod uni Deo Patri divinos præstare honores videantur. Horum sectam sæculo xvi. ex superiore ortam scribit Jacobus Gvalterius in tabulis Chronographicis. Quando in Transylvaniam irrepserint, incertum est: illud certius; diu eos in obscuro latuisse, mutato subinde ritu, quod futurum exilium suum præfagirent, externo quodam cultu Dominicum diem celebrasse, sui una sabbathi superstitione observantes. Atque ut nullus quantumvis apertus error unquam extitit, qui Propugnatores e primoribus non nancisceretur; hic quoque defensorem habuit Pectsum Transylvaniæ Cancellarium, qui execrandi eorum dogmatis studiosus, mortem in ejusdem confessione voluit oppetere. Extant etiamnum pauculi in Sede Marus,

rus, & Udvarhely eò cæteris infeliciores, quod Evangelicæ veritatis luce neglecta, quam duorum è Societate Jesu Sacerdotum operâ, ejurata veteri superstitione complures Anno 1729. aspexerunt, suo in errore obstinati perseverent. Qua vero ratione novatores hos neglecta traditionum autoritate Calvinii affectæ jugulare valeant, non abs re quæri potest: cum Sabbathorum celebratio Divinis in scripturis præcipiatur, Dominici vero diei solemnitas è traditionibus duntaxat constet. Oedipus sit, qui sphingem hanc dissolvat.

§. XI.

Armenorum in Transylvaniam adventus, & ad Religionem Catholicam conversio.

ANnus à Virginis partu 1669. agebatur, quò seditione adversus Ducam Moldaviæ Principem exorta ad oppugnandam munitissimam Podoliæ arcem Camenecum Turcæ proficiscebantur. Perculsi eorum metu Armeni, quorum ter mille familiæ, vastata Armenia, ac solo æquata Ani urbe
Arme-

Armeniæ primaria in Moldaviam, plures in Poloniam se receperant; in alpes vicinas profugerunt. Tertium jam in annum per sylvas ac montium juga dispersi errabant, cum opportune nonnullis occurrit è re sua futurum, si in finitimum Transylvaniæ regnum profugerent. Gubernabat id temporis jure Principe Transylvaniam Michaël Apafi, qui domicilium ex torribus, ac una mercaturæ libertatem perquam facile concessit. Et major quidem eorum pars S. Nicolaûm, Sedis Gyergyo locum non ignobilem, minor altera pagum ditionis Csikiensis, amœnô locô situm Szépvizium delegit, Minas Armenorum Episcopus, Schismate jam tum notatus cum Clero, & Magistratu profano Bisztriczium, elegantem Saxonum urbem concessit, Górgény alii, ac Ebesfalvam, alii denique Télfalu, Petelye, & quosdam alios Saxonum pagos tenuerunt, Armeno Judici parere jussi, qui Regiis Sedium, quas incolerent, Judicibus obsequeretur.

Unum novis incolis æquo haud ferendum animo videbatur: Cæteris nimirum
à Ro-

à Romana alioquin Ecclesia segregatis publico religionis usu indulto, sibi duntaxat templis, sacrisque ritu Armeno obeundis esse interdictum. Orare igitur Principem, sollicitare Clerum Catholicum, Romanæ vel ideo Ecclesiæ opinioni consensuros, nec uuquam ab ejus imperio recessuros polliceri; dum sibi, quod orarent, integrum esset. Cessit demum piis Armenorum votis Bartholomæus Szebelébius, qui munus id temporis Generalis in Transylvania Vicarii obtinebat, & geminum eis Sacellum in Csikiensi, ac Gyergyoiensi ditioe attribuit.

Latebant interea non tam vulgi pertinacia, quam docentium, ac Curionum penuria errores perniciosissimi, nec qui eos populo eximeret, Episcopo, Cleroque schismate infectis reperiabatur. Donec An. 1684. Oxendius Verzirescus post navatam in Urbano Collegio sacris profanisque scientiis decem & quatuor annis operam, ac ejuratos in Palatio sacri officii Armenorum errores Sacerdotio insignis reverteretur. Quem dum memoro, fœcunda illico laudum seges sese mihi aperit,
unde

unde meritam ei texerem panegyrim, nisi alienum id ab instituto ducerem. Quæ tamen in rem nostram faciunt, paucis attingam. Hic ille est Armenorum Apostolus, de quo non immerito dubitaveris: Majoresne in popularium suorum conversione labores exantlarit, an calamitates sustinuerit? Enimvero ut Armenos ad imperium Romanæ Ecclesiæ revocaret Oxendius, nullus labor tam arduus, quem non appeteret, nullum tam anceps extitit periculum, quod perhorresceret. Ex adverso vero quis facile edicat? quot injurias ac opprobria tolerarit? quibus calumniis, ac maledictis laceffitus sit? quibus incommodis conflictatus? nihil ut prorsus abesset, quin miserrimus & esset, & diceretur. Quadriennio pene integro strenuus in vinea Domini operarius solos messuit patientiæ fructus, quorum uberem satis campum Minas Episcopus cum Clero, cæterisque Armenis hæresi ac schismate inquinatis aperuit. Ut enim nihil de latis in eum censuris, nihil de calumnia dicam, quâ Regni passim, & Religionis perturbator cir-

cumferebatur: Bistricii dum ageret, parum aberat, quin immani lapidum vi à suis obrutus alter pro Christo Stephanus occumberet.

Verum lætiora brevi tristibus his successere, & Divina miserante clementia spinæ istæ rofas germinarunt, dum Apostolicis Oxendii laboribus pravum deductus schisma ex infensissimo Romanæ Ecclesiæ hoste gnāvus propugnator evasit Minas. Majori eidem futurus emolumento, nisi post dictum coram Cardinale Pallavicino, Nuncio id temporis in Polonia Apostolico, fidei Sacramentum; in Transylvaniam redux lethali correptus morbo feliciori, quam vixerat, coronide vitam hanc mortalem terminasset. Major exinde continua Oxendii prædicatione Cleri, populique Armeni ad Religionem Catholicam facta accessio, qui ut suam in Sedem Romanam contestarentur observantiam; Eliam Sacerdotem Armenum cum octo aliis Leopolim ad Nuncium Apostolicum ablegarunt, ubi annuente Cardinale Cantelmo, Pallavicini successore coram Archi-Episcopo Leopoli-

politano Vartano Hunariano, totius Armenæ nationis Daciam incolentis nomine, fidelium cœtui aggregati, perennem Romano Pontifici subjectionem jurejurando promiserunt. Literas etiam ad Innocentium XI. Summum id temporis Christi in terris Vicarium, exararunt, quibus ut Armenis novello Ecclesiæ germine, fidelium Pater bene precaretur, & Oxendium de se quam optime meritum Episcopali honore insigniret, imis precibus exorarunt.

Audiit vota filiorum benignus Pater, & largam impertitus benedictionem, Oxendium Aladiensem Episcopum in Hybernia, & Apostolicum Armenæ Diœceseos Vicarium pronunciavit.

A susceptis statim Episcopalibus insignibus Sede Bisztriczii fixa, suas egregie sustinebat partes, nec ritu solum Armenico, verum etiam Latino ab exule Transylvanorum Episcopo rogatus, Antistitis religiosissimi munia plurimo cum animarum emolumento exercebat. Sed en! dum ita pro salute gregis Domini Præsul vigilantissimus excubat, vincit pro

DEO, pro Cæsare, pro Religione in Turciam abducitur: ubi triennium integrum iis conflictatus miseris, quas barbari Christianis inferre solent, libertate demum donatus est. Laudavit Oxendii virtutem proborum æstimator æquissimus, Imperator LEOPOLDUS, ac in Præfulem DEO, Cæsari, Religioni fidelem, augustos contestaturus favores, jus extruendæ Armenopoleos in Transylvania petenti concessit. Probavit quoque digna tanto Cæsare Conjux Eleonora, & Episcopalibus ornatum indumentis Vienna dimisit. Extant ea hodiedum Armenopoli, & luculentum Augustissimi in Oxendium, Armenamque gentem favoris exhibent monumentum.

Oxendius in Transylvaniam redux locum ædificandæ urbi ad Samos-Ujvarinum delegit, cujus ipse fundamenta jacturus domum erexit, quæ deinde in ædem consecrata pio etiamnum fidelium cœtui sacra Catholica obeunti servit. Alii subinde aliunde, Bisztricio præsertim, pristina relicta statione, ac excussô Saxonum jugô, eo commigrarunt, cœptamque

que urbem ædificiis ornarunt, populô au-
xerunt, fortunis locupletarunt. Consum-
matam paucis post annis vidit Oxendius,
quæ demum ut liberis, Regiisque Daciæ
urbibus accenferetur, favore, promisso-
que Magni Cæsaris LEOPOLDI fretus Vi-
ennam concessit, ubi dum popularibus su-
is, quos ante suavissimo Christi jugo sub-
jecerat, libertatem procurat, conatui suo
non sine veneni porrecti suspicione im-
moritur.

Præmaturus Oxendii obitus turbarum
aliquid Armenopoli excitavit. Ut enim
facile ad pristinos errores defluimus, nisi
malorum radices evellantur: seu perversarum
opinionum virus reapse non eje-
cerint, seu curatorum negligentia, gen-
tiliumque recens ex Armenia, & Mol-
davia advenientium persuasione seducti,
Catholica rursus odisse sacra, & prisca-
rum commenta opinionum amplecti occe-
perunt. Curio ipse Armenopolitanus etsi
non aperte ab Ecclesiæ Romanæ commu-
nitione recesserit; veteri tamen ritu geri
omnia patiebatur. Quod ubi integerrimo
Transylvaniæ id temporis Antistiti

Georgio Martonio, cui ab Oxendii obitu Armenorum cura concredebatur, innotuit: sensit enimvero extremum gentis Armenæ discrimen, & ne sua sub ditio-
 ne desiperet, quæ sub Oxendio sapere cœperat, virum ex eorum numero Catholicis rite imbutum sacris, cerimoniarum probe gnarum Michaëlem Theodorovicsium Sacerdotiô initiavit. Nihil is, quo populares suos ad Ecclesiæ auctoritatem revocaret, intermisit, grande operæ pretium relaturus, si par labori fructus respondisset. Sed gravius jam malum fuerat, quam quod medelam admitteret. Armenopoli proinde exactus, ac tempori cedendum ratus, Romam contendit, ut Religionis Orthodoxæ propagandæ, suorumque ad frugem revocandorum studium quod nequibat suâ, Romani Pontificis auctoritate prosequi fas haberet. Majoribus inde animis, Apostolicis etiam instructus literis, evolutô nondum bienniô in Transylvaniam redux meliore loco Armenorum res constitutas reperit. Occupatis quippe Sacerdotis Româ missi nunciô nonnullorum animis,
 plus

plus aliquanto Summi Pontificis auctori-
tati tribuere, & quam nondum penitus
erga Romana Sacra reverentiam exue-
rant, sensim cœperunt reparare. Accessit
maturus sacrorum Armenopoli Curato-
ris obitus, cujus conniventiane dicam,
an remissione, Armenorum vacillare cœ-
pit constantia. Huic enim vitâ functo ut
egregia Theodori Danielis, & Salamo-
nis Thodorii operâ, quorum perennis vel
ideo apud posteros erit memoria, in
munere successit Michaël Theodorovi-
csius: tota brevi Armenopolis, rejectis
iterum vanarum superstitionum tenebris,
Romanæ sese reddidit Ecclesiæ. Illud
hodie felicitatis consecuta, ut neminem
in ea civium reperias, qui ad cœtum
recte sentientium non rediisset. Digna
proinde eâ honoris prærogativâ, quam
illi Augustissimus Imperator CARO-
LUS VI. impertiit, dum liberæ, Regi-
æque civitatis nomine, ac privilegiis
decoravit. Dudum id meditabatur O-
xendius, at nonnisi Anno millesimo,
septingentesimo, vigesimo octavo ope-
râ Apostolici per Transylvaniam Mis-

tionarii Minas de Baron, & nonnullorum Armenorum studiô est confectum. Quos inter non postremô censendus locô est, magnum suæ gentis decus Theodorus Daniel, qui pluribus annis supremum in Transylvania Armenorum Judicem egerat, quique consilium Armenis è Moldavia profugis in Daciam veniendi suggesserat, & primus deinde eorum genti nobilitatem, ac indigenæ nomen intulit.

Armenopolitanorum exemplum secuti cæteri, religionem passim amplexi sunt Catholicam, & quotquot fere è Moldavia, ipsaque Armenia etiamnum adveniunt, veteri abdicato errore fidem Orthodoxam amplectuntur: ut proinde jure hodie devotioribus Daciæ populis Armeni accenseantur.

§. XII.

Origo Bulgarorum in Dacia, & facta per eos Religioni Catholicæ accessio.

VArias inter nationes, quas Transylvania sinu excepit suo, firmam quoque

que Bulgarorum gens obtinet stationem, de qua paucis ad institutum pertinet meminisse. Regionem in Bulgaria turcicô quamvis oppressam jugô, Christianis tamen addictam sacris ille solus iverit inficias, qui rerum tam ignarus est peregrinarum, quam gnarus suarum. Quatuor ea complectebatur urbes, singulas Monasterio Ordinis Seraphici insignes. *Cziprovacz* earum prima nuncupabatur, augustô Virginis in Cælos assumptæ templô, Religiosorum D. Francisci cœnobio, Archi-Episcopi denique Sardicensis sede nobilis, cujus Diœcesis uni Romano Pontifici subiciebatur. Thaumaturga eô locô Virginis *DEIparæ* icon, sacro prædives apparatu, fidelium patebat venerati-
 oni, cujus ad spectaculum ipsi adeo natura & moribus barbari frequentes accedebant. *Copilovacz* alteri nomen, æde & ipsa Principi Apostolorum sacra, conspicua: hoc cæteris felicior, quod incolas haberet Arnautos nulli unquam hæresi obnoxios. *Zeleszna* tertia, alias Ferrara: quarta demum *Kliszura* hæc Angelorum

Antesignano Michaëli, illa Divo Alexandrinorum Antistiti Marco sacra.

Opulenti has urbes ad annum usque 1688. Bulgari, & Arnauti negotiatores incolebant, quô gloriosis LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris armis, ereptô Turcis Belgradô, quatuor Arnatorum Centuriones Copilovaczio egressi, Friderico Veterani, armorum Cæsareorum Præfecto, Ungarorum Turcis fœderatorum Ducem Emericum Tókólium aggressuro sese conjunxerunt. At continuo Turcis proditi, & Pozaroviczii intercepti, in potestatem Imperatoris Turcarum devenerunt. Suam cæteri prævidentes, depopulationem cum uxoribus & liberis, cunctaque re venali, relicta veteri statione, in Valachiam Transalpinam, per occultas palantium Tartarorum insidias, multis suorum amissis, sunt dilapsi. Profugum gregem sacra Religiosorum D. Francisci corona stipatus, secutus pastor Archi-Episcopus Sardicensis, in hostium incidit manus, à quibus male verbis, & verberibus acceptus, sacerdotalibus insuper exutus ornamentis, ac vili tectus lacernula ad

exercitum pervenit Cæsareum, cui opportuno sub initium Anni 1790. è Valachia egredienti cum suis comes factus, Ducibus Maria de Pace, & Donato Heisler ab Heidershein, in Transylvaniam inductus est. Alebatur is postea Cibinii cum aliquot ex Ordine Seraphico Deo dicatis viris; impensis ac munificētia supremi per Transylvaniam rei bellicæ Præfecti, donec vitam hanc mortalem æternâ commutasset. Corpus Albam-Juliam delatum, honorifico ibidem funere tumulatum est.

Bulgarorum vero coloniæ per villas, ac pagos quosdam distributæ degebant in Transylvania ad an. usque 1700. diploma deinde impetrarunt, quô Vinczii, desolati prope Albam-Juliam oppidi, in emporium erigendi, sedisque perpetuæ ibi collocandæ LEOPOLDUS Imperator potestatem fecit. Missus etiam à sacra Congregatione de fide propaganda Bulgarus Sacerdos Christophorus Peichich, hodie sacri Csanadiensium Canonicorum Senatus columen, qui dispersos multo labore populares collegit, ac Vinczium deduxit.

Respi-

Respirare hic paululum à metu , brevi etiam duorum è Bulgara gente Pauli Katalenichii , & Marci Puenichii auxiliò , animum cæperunt erigere ; qui servatas à barbarorum direptione fortunas in populares suos rerum omnium inopiâ pressos largissime erogabant , & qua poterant ratione , laborantibus amicis opitulabantur. Ita in suorum providi commoda , saluti quoque consultum ibant , viris Religiosis avita sacra procurantibus. Et jam rebus Bulgaricis aspirare fortuna cæperat , cum mutata amica Reip. tempestate , immani velut turbine everfa iterum sunt omnia , atque dissipata. Excitata quippe in Ungaria seditione , Transylvaniam quoque depopulante , pars in Valachiam Transalpinam abire , pars in munitiora loca , vitam ac fortunas servaturi , recipere sese sunt coacti.

Hac , crediderim , tempestate Albæ quoque Juliæ Bulgarorum nonnullos sedem fixisse : cujus rei luculentum est testimonium ædicula etiamnum extans cum annexo Religiosorum Bulgarorum D. Francisci Seraphici domicilio , ubi Thaumaturga Vir-
ginis

ginis DEI paræ icon, quam Cziprovaczio profugi abstulerant, aureo, argenteoque dives anathemate asservatur, ac summa populi colitur veneratione.

Seditione composita An. 1711. in stationem nonnulli remigrarunt suam: cæteri Vinczium temporis hostiumque injuriis expositum causati, Cibinium, ac Devam sese contulerunt. Degunt in his etiamnum locis numerosi; eminet vero inter eos hodie Bibicsiorum nomen, ut nobilitatis prærogativa, & opibus: ita virtute, ac profusa cumprimis in res sacras munificentia, in egenos liberalitate inclytum. Quibus, utpote Virorum Religiosorum fautoribus, Bulgari Religionis integritatem, Divorum delubra splendorem, calamitosi vitam, ac fortunam referre debent in acceptis. Sed ne gentis totius laudes profapiæ unius circumscribam commendatione, communis eaque maxima cæterorum cum Bibicsiis Bulgarorum est gloria, tot inter adversas vices avitæ religionis observantissimos extitisse, nec ullis impetitos calamitatibus ad falsarum opinionum commenta defecisse. Illud etiam

non mediocrem eorum commendationi facit accessionem, quod fortunas seu à frequenti depopulatione reliquas, seu novo sudore conquistas, erigendis Divorum ædibus, coëmendo apparatusi sacro, sublevandæ egentium inopiæ, proximorum emolumento impendant: quod ut ad officium Christo authoratorum maxime pertinere videtur; ita maximam quoque Bulgarorum nomini conciliat existimationem.

§. XIII.

Ingressus Societatis IESU in Transylvaniam, & varia ejusdem fortuna.

Pontificio Pauli III. oraculo confirmatam IESU Societatem, cum res ab ea gestæ docerent, institutam esse reprimentis, qui Ecclesiæ nefarium bellum inferabant; Stephanus Bathorius invitavit in Transylvaniam Anno 1579. cui suprema cum potestate præerat, ut Lutheranis, Calvinianis, Unitariisque sacra & profana miscentibus obsisteret. Invitanti annuit Præpositus per Poloniam Provincialis Franciscus Sunnyerus, datis decem sociis.

Erat

Erat Claudiopoli Seraphicæ quondam Familiæ Cænobium, quod postmodum à dicatis DEo Virginibus habitabatur. Unica ex iis tum ætate gravis superabat, insonante enim peregrino evangelio, conjugium præstare cælibatui, vitâ functis nullæ virgines sufficiebantur, ita volente Magistratu. Hæc supremo diei propior, per somnium, hominum speciem, quales sunt Clerici Societatis JESU, sibi visam esse retulit, qui adfuturi, vacuumque non exiguo rei Catholicæ fructu impleturi sint cænobium. Paucæ abierant noctes, cum aderant PP. Societatis JESU, & voluntate Principis, ac Pontificis in instauratum illud cænobium, & adjectum templum, in platea quam *Luporum* vocant, inducti sunt. Tum plaudere mulier, & DEO grates dicere, quod tales viros puellis DEo dicatis sufficeret.

Princeps Stephanus Kolos-Monostorium familiæ D. Benedicti jam Isabellæ Reginae ætate ereptum, & in fiscum redactum, pretiô ex divenditis familiæ Bathoreæ bonis in Ungaria, emit, & novæ hospiti attribuit. Christophorus Stephani
frater,

frater, & creato Poloniæ Rege Stephano, Transylvaniæ Princeps; adjecit pagos Bács, Jegenye, Kajántó, Tiburcz, Bogártelke, non ademptos ulli per injuriam, nec decerptos è fisco Principum, sed ære proprio coëmptos, ne aliter, quam per summam injustitiam à Societate repeti possent.

Pari liberalitate Albæ-Julix, quam hodie Carolinam vocant, Collegium iidem Stephanus, & Christophorus, Societati fundaverunt. Probavit hanc Principum munificentiam regnum, cum Tordæ 1599. & Claudiopoli 1581. obirentur Comitibus, & Societatem JESU legitimam Daciæ membrum esse voluit. Ita stabilitam supremam voluntate Rex Stephanus, totidem, quot subjungo verbis, Sigismundo nepoti commendavit:

„ Ad te redeo charissime nepos, Princeps Transylvaniæ, Sigismunde Bathori.
 „ Tibi inprimis Collegium Claudiopolitanum, & Albense lego, & committo:
 „ quæ Collegia Pater tuus, & ego fundavimus propriis ex facultatibus nostris, sine cujusquam injuria. Quæ ita
 „ tue-

„ tuearis, ac defendas, quatenus animæ
 „ tuæ, Patriæque, cui præes, salus ti-
 „ bi cara est. Non deerunt porro Arria-
 „ ni, atque inprimis Kolosvarienses, qui
 „ ea everfa velint. Favebunt iis Senato-
 „ res tui omnes, aut Calvinistæ, aut
 „ Lutherani, nec deerunt opportunitati
 „ juvenes, aut Aulici pariter hæretici,
 „ qui tibi adulantes, procaciter in eos in-
 „ vehentur; animumque tuum in trans-
 „ versum rapiunt: sed si vir es, facile
 „ simul omnibus resistes sola constantia,
 „ zeloque pietatis magis, magisque piis
 „ hominibus contestatæ. * Qui legit in-
 „ telligat, & Vatem coronatum veneretur,
 „ unaque conjiciat, putide mentitum fuisse
 „ haud ita pridem, qui in historia, quam
 „ Diplomaticam appellat, Stephano Batho-
 „ rio tribuit epistolas ad PP. de Societate
 „ JESU in Transylvania, quibus monet,
 „ ut ab insignioribus, quorum rei sint, cri-
 „ minibus abstineant. Si enim reos crimi-
 „ num credidisset, ob quæ, jura fontes fur-
 „ cæ addicunt, qualia bellus ille historio-
 „ graphus Stephano de Societate innotuisse

F

re-

* Ita legitur in Testamento Stephani.

refert, nonne omnium mortalium facinorosissimus fuisset Stephanus, tam nefarios homines ita foveri, defendique ab innocente Nepote volens, quemadmodum Patriam, & suam animam Princeps curare debet? cur locus, ex quo prima earum epistolarum exempla sunt sumpta non nominatur? cur, ubi legi queant, ne ullum sit dubium, non insinuatur? Nimirum de genere illorum, scriptor is est, qui legibus hominem obsequi non posse, & sive obsequatur, sive contrafaciat, perinde esse: Nihil ad animorum felicitatem præclare gesta proficere, nihil officere quæcunque flagitia, imo quidquid agamus, peccare nos credunt. Unde nec mendacium erubescunt, nec sincerati ullus apud eos honor. Comminiscuntur ad infamiam proborum crimina, quæ si persuaderi posse desperent, cum Machiavello acquiescunt providentes, futuros qui dubitent de innocentia illorum, quibus tot flagitia tribuuntur.

E vivis sublato Stephano, & Christophoro, Sigismundi imbecillis ætas spem, & consilia Unitariorum erexit ad expellen-

len-

lendam Societatem. Cui idcirco Medgye-
 fini An. 1588. denunciarunt: aut Societa-
 tem, aut Principis solium dimittendum
 esse. Fractus his minis adolescentulus as-
 sensit, ut Societas JESU Regno excedat.
 Hanc exilii sententiam per comitia Alben-
 sia An. 1595., & Medgyesiensia 1599. re-
 tractatam, quod libertati Religionis Ca-
 tholicæ officeret, & Sigismundus gravi-
 ter se in æquitatem peccasse, cum eam pro-
 bavit, lamentaretur, * Claudiopoli An-
 no 1607., Bistricii 1610., Albæ-Julis
 1653. A catholicis audacia & numero vali-
 diores confirmarunt, adjecta enormium
 criminum infamia; sed quæ nulli de So-
 cietate coram Judice objecta, nunquam
 juris ordine comprobata sunt. Edicatur
 enim, qui accusatos audivit, designentur
 nomina, exprimaturs locus, in quo con-
 victi, testes, indicia, rationes recitentur,
 quibus patrata scelera in lucem producta
 sunt. Ni hoc præstetur, æqui rerum ar-
 bitri credent, quæ Societati imponeban-
 tur, malitiose conficta esse.

F 2

Et

* Ita aperte articulus Comitiorum.

Et vero quis credat hæc scivisse, reticuisse tamen eos, qui tot infamibus libellis Societatem appetiverunt? Profecto si alias tacuissent, dum Pofonii centenis plures circa Annum 1674. A catholicorum Prædicantes in LEOPOLDUM Ungariæ Regem perduellionis convicti ad transstra damnati, crimina cum indiciis & testibus typis vulgata sunt; convictos criminum in Transylvania Jesuitas non tacuissent. Non tacuisset Diplomaticæ haud ita pridem author historiæ, qui plurimis contra Societatem confictis, dum multa ab eadem fieri egregie, non potuit inficiari, spe lucri, & studio captandæ gloriæ fieri scripsit.

Sed quid ego hæc persequor? quando Societatis innocentiam Transylvaniæ Principum, aliorumque virorum illustrium, in quorum oculis vixit, probant testimonia. Sigismundus Bathorius, qui metu amittendi regni, reclamante conscientia in ejus exilium consenserat, literis Albæ-Julix datis 3. Junii 1589. testatur: Jesuitas „ quamdiu in Transylva-
„ nia vixerunt, probe ac diligenter,
„ sicut

„ sicut vitæ, Sudiorum, religionis, pi-
 „ etatisque eorum ratio postulat, mune-
 „ re, vocationeque sua functos esse, nec
 „ aliam ob causam, quam quod regni
 „ status & ordines ferre eos noluerunt,
 „ discessisse. Alter Sigismundus & Tran-
 „ sylvaniæ Princeps genere Rakoczius, qui
 „ Acatholicis testis suspectus esse nequa-
 „ quam potest, „ Patres Societatis JESU, ut
 „ bonos & morum integritate graves vi-
 „ ros, non ob ullum delictum, aut no-
 „ tæ alicujus vitium, verum ad instan-
 „ tiam, Romanæ & Catholicæ fidei con-
 „ trariam opinionem sequentium, esse in
 „ alia loca demigrare coactos, ait lite-
 „ ris in testimonium innocentiae abeuntibus
 „ datis. Sigismundus & Balthasar Kornii-
 „ si, Petrus Bánffi de Losoncz, Joannes
 „ Kálnoki, Clemens Beldi, aliique Proce-
 „ res Catholici, iniquissimo Anni 1607. De-
 „ creto, quantum licuit obnunciantes,
 „ legitime contestati sunt, ne levissimi
 „ criminis, cur à piis, legitimisque re-
 „ gni Principibus foundationes, privile-
 „ gia, & confirmationes obtentas de jure

amittere potuissent, unquam convictos fuisse. *

Tot clarissimorum Virorum encomiis potius, quam testimoniis, ac innocentia sua consolabatur se se afflicta JESU Societas, nec unquam Transylvaniam plene deseruit. Levabant dolorem Rudolphus, Mathias, & Ferdinandus III. Cæsares, nec non Joannes Casimirus Poloniarum Rex, qui Sigismundum, & Georgium Rákoczios per submissas literas laudum Societatis plenas, ac Legatos rogabant, ne viris bonis tam iniquos suos subditos esse paterentur. Altero à 1588. quo proscripta est anno, eam arcessivit Claudiopolim Sigismundus, tertio ereptum Albæ Collegium P. Carillio cum geminis Sociis reddidit: placuit nihilominus, abstinere tantisper veste Societatis, & eam induere, qua vulgo Canonici utebantur. Anno denique 1595. sumpto prius de Proceribus ob initum contra Turcas fœdus cum Rudolpho Cæsare in Principem conjurantibus supplicio, Medgyesiensium Comitiorum decretis, postli-

* Extant hæc 3. literæ in Vien. Dom. Prof. S. J. Tabul.

postliminio juribus, possessionibusque restituit, quæ novis illico ex Ungaria, & Polonia aucta est supplementis.

Anno rursus 1599. inchoatis ab Andrea Bathorio Cardinale Comitiis, in quem Sigismundus Principatum transtulerat, victor in campis Cibiniensibus Michaëlis Valachiæ Vayvodæ exercitus, triumphantis in morem Albam ingressus, Collegium diripuit, at multa statim Societatis laude, pristinum in statum repositum est, non diu tamen Patribus quietis esse licuit; nam comissa quinto ab Alba lapide pugna, & victo Sigismundo per Bastam, ac Michaëlem; sex, a Michaëlis militibus in custodiam pertracti, rogos, & necem expectabant, donec catholica Belgarum cohors, monito propere Basta, eductos carcere periculo subduxit. Cædes & rapinas, aliasque injurias admissis Claudiopolim Anno 1603. Michaëlis Székely copiis, toleratas, qua ratione Societatis Patres ulți sint, in historia Unitariorum retulimus: illud peculiare, quod viceni id temporis e Collegio, lue afflatis, Sacramenta, aliaque solatia ministrantes, sint extincti. F 4 An-

Anno 1606. Stephanus Botskaius cum auctoritate comitiorum Societatem regno exturbare non posset, per sese id perfecit. Verum sensit altero post mense vindicem DEI manum, & instante morte merito se plecti exclamavit, quod Societatem Transylvania exturbasset. Obtinente Principatum Gabriele Bathorio, Collegium Societatis JESU Calviniani occuparunt. HOS illis animos Bathorius faciebat, qui cæsis fugatisque Primoribus Catholicis, infectum eorum cruore gladium ad Calvinianum Antistitem misit, admonens, ut hoc exemplo in Catholicos sæviret. Neque tamen, quod maxime moliebatur, perficere valuit, non pauci quippe latebris tecti mansere, imo unus in omnium oculis, cui ut a comitiis proscripto, amplam remanendi facultatem concederet, Paulus Veselénius Catholicus, Principi in paucis fidus, ac ærarii Præfectus impetravit.

Cum principio Bethleniani regni respirare visæ sunt res Societatis. Nam Comititia Anni 1614. gesta Bathorii, & adversas Catholicis Societatique leges resciderunt. Bethlenius Monostoriensem sacram

eram ædem, & Societatem Catholicis Anno 1615 solemni decreto reddidit, advocatis in Monostor, Albam, & Káransebes compluribus e Societate, quos suis impensis non paucos annos aluit. Ejus humanitatem imitatus est Frater Stephanus, & ut omnes imitarentur Principes, sanxit: quod libertas Societatis Jesu, in Transylvania ad unionem sit necessaria. Sic tutæ favore quoque Catharinæ viduæ Bethlenianæ & senioris Georgii Rakoczii ad annum usque 1653. licuit esse Societati. Tum quartò, sententiâ Comitiorum proscrip̃ta, mutato solitarum vestium cultu in familiarem Curionibus, varia egit ac passa est, usque ad Annum 1700. P. tamen Stephanus Kornis, hodiernis Excellentissimo ac Illustrissimo Sigismundo, & Stephano Kornisiis sanguine junctus, donec vixit, a proscriptione nec cultum vestium, nec solum patrium adversus Principis, & A catholicorum minas mutare unquam voluit, quod genere, privilegiisque nobilissimis Transylvanorum par, non nisi accusatus ac convictus exilio mulctari queat. Is vero nunquam accusatus aut

convictus fuit, nec convinci suis cum sociis unquam potuit. In gentilitio castro S. Benedicti plenus meritorum obiit, unde per noctis tenebras, cum per lucem structis undique ab A catholicis insidiis non posset, tota late vicinia Catholicis Sacramenta ministrabat.

Firmari cœpto in Transylvania circa finem prioris sæculi Imperio Augustissimæ Domus Austriacæ, Religio & Societas JEsu in spem secundiorum rerum erecta est. Gubernatore comite Georgio Bánffi universa fere Transylvania summis precibus apud LEOPOLDUM Magnum institit, ut viros de Societate in Transylvaniam mitteret. Magnus ipse LEOPOLDUS Anno 1699. inter cætera imperavit aboleri omnia, quæ repugnarent æquæ libertati Religionis Catholicæ, cum cæteris: qua cum libertate pugnare statuta de Episcopo Catholico, de Patribus Societatis, & aliis DEO dicatis viris in Transylvaniam non admittendis, declaravit Anno 1702.

Denique nuperis hujus Anni Comitibus summo in id conatu incubuere Proceres Catholici, ut assensu omnium quidquid gestum,

gestum , sancitumque est unquam adversus Societatem , rescindatur. His sero , liberaliter tamen voluntatem suam Aca- tholici adjunxerunt , & ut æquo cum cæ- teris jure , Societas in Transylvania vivat ; assensi sunt. Dabit operam Societas , ut neminem unquam nisi Improbos , si qui futuri sunt , hujus voluntatis pœniteat , imo ipsis etiam improbis profit. Ea re- gni istius causa præstabit , ex quibus vo- luptatem , emolumenta , splendorem ca- pere Respublica , & unusquisque salutem æternam consequi possit. Catholicis verò , suæ famæ , ac juris vindicibus in omni- bus meritis , ex ministeriis Societatis per inclytum Transylvaniæ regnum pars erit , dum in Transylvania Societati degere licebit.

§. XIV.

*De secta Pietistarum , & Indif-
ferentium.*

Pietistas quidem non ausim in Dacia ci- vitate donatos asserere : at Indifferen- tium , ut vocant , sectam (a quibus Paci- fican-

ficantes non magis , atque ovum ab ovo differunt) paucis abhinc annis clam in eam ex Imperio irrepfisse , quam mirari , tam dolere non fufficio. Cum enim in comperto fit , nullam prædictarum feftarum venire in cenfum , feu receptarum , feu toleratarum religionum , quis quæfo inficias ierit , feftatores ejus , patriis procul finibus arcendos , ac ad extremam ufque Thulen relegandos , ubi pro voto fuo , velut in Patimo digna enthusiasmis illis , fcilicet Apocalypticis , vanisque Morphei illufionibus e proprio cerebro enatis pafci , oblectarique poffint. Et tamen , proh dolor ! utinam non fint , qui omnem moveant lapidem , ut opera fua confectum effe , quod optant , gloriari poffint ! tam late nimirum Indifferentium feftam palmites fuos extendiffe , ut quod olim de Arii temporibus dictum , id ipfum nobis ingemifcendum fit : Daciam ante fe Indifferentem mirari , quam talem effe fe fentiat.

Cui malo ut ab iis , quorum intereft , tempeftive obviam eatur , cæteri vero etiam fibi omnes ab eo , velut peftifera lue

cave-

cavere possint, operæ plane pretium censuimus, vivis eorum sectam coloribus depingere. Quia vero Indifferentibus, & Pacificantibus, in nonnullis, cum Novatoribus, quos Pietistas vocant, convenit, & vel in eo maxime, quod ut hi, ita illi in Romanam Sedem, & Ecclesiam probris, ac convitiis pro libidine grassentur, in aliis vero quibusdam disconvenit; placuit & de Pietistis paucula præmittere.

Pietistæ proin explodunt quidem fidem mortuam, id est fidem sine operibus, a Luthero adstructam, sed cum ea, omnia simul Sacramenta, ipsumque etiam suo modo Baptismum. Rident Hierarchiam Ecclesiasticam, Sacerdotium, Sacrificium Missæ, quod compendium idololatriæ, & abominationem vocant. Vilipendunt Religionem, seu cultum DEI externum, nec opus habent verbo DEI scripto, cum quilibet eorum existimet ipsum Spiritum sanctum, sapientiæ fontem, omnia sibi suggerere. Explodunt inanem Lutheri fiduciam, nec secus justitiam imputativam: sed longe acerbius, crudeliusque dilaniant Catholicorum spem, quam in Sacramen-

men-

mentis reponunt. Opus operatum, abominandum Pietistis nomen, sine cachinnis, ac sibilis vix unquam proferri patiuntur: ipsi fiduciam omnem in intima cum DEO, & Christo conjunctione; ipsos, suo quidem judicio, vivificante, & animante; nec non Spiritu sancto ipsorum corda, animasque inhabitante reponunt. Suntque ex iis, qui sibi persuadeant, se non tantum impeccabiles esse, sed etiam beatos actu, Deoque fere instar Cœlitum perfrui. Opera bona quod attinet, urgent quidem eorum exercitationem, negant tamen ea vel esse meritoria, vel credentibus salutaria. Liberum arbitrium variis erroribus explicant, gratiam, quam vocamus *actualem* omnem impiis negant, *habitualement* vero sæpe cum lumine gloriæ confundunt.

Ad hæc quo animo ferantur in Catholicam Ecclesiam, testatum abunde faciunt, cum quidquid in buccam venit, exuta fronte, in summum Ecclesiæ Pastorem effutiunt. Quem jam Anti-Christum, jam hominem peccati, jam filium perditionis, perditum omnino, & omnia perdentem
 appel-

apellant, qui adverfetur omnibus, extollatque fe fuper omne id, quod dicitur DEus. Papa certe Pietiftis eft Bestia Apocalyptica, quæ feduxit omnes populos, quæ jus dicit, imperatque Regibus terræ, quæ perfequitur fanctos, & mulierem amictam fole. Ecclefiam Romanam cenfent efle meretricem illam Babyloniam, Matrem abominationum, & fornicationum. Miffionarii ab iis habenter pro fpiritibus illis immundis, ranarum inftar in quatuor orbis partes emiffis, ut congregent Reges ad prælium Omnipotentis DEI. Concilium Tridentinum apud eos non aliter audit, atque officina errorum, ac abominationum. Quidquid denique Joannes Apocalypticus, quidquid fuis in Epiftolis Paulus de Anti-Chrifo vaticinati, id omne in unum velut fascem collectum, in Cathedram, & Ecclefiam Romanam conjiciunt.

Noviffime porro reperti, quos ab Orthodoxa fide alienos cum pudeat feu Lutheri, feu Calvinii, feu denique Arii doctrinæ fufcribere, novam fidei ineunt rationem, totique in eo defudant, ut religio-

giones omnes inter se concilient, si unam Romano-Catholicam excipias, cum quæ cæteras conciliari posse, vel ipsi inficiari debent; cum nulla lucem inter & tenebras intercedat necessitudo. Hi ergo tecti quadam pietatis specie, miram sibi auctoritatem arrogant docendi novatorum recentiorum errores, qui nec religioni Orthodoxæ, nec ulli sectæ ab hac alienæ convenient. Frequens illis in ore pacis nomen, pacem inclamant, plenisque buccis crepant, laceram se inconsutilis vestimenti Christi sarturam refarcire, quam tamen ipsi miserum, fœdumque discerptum eunt, dilaceratumque. Ut fucum qualem qualem doctrinæ suæ illinant, in id unum vires nervosque necquidquam intendunt, ut Fidei Christianæ articulos essentielles (ut loquuntur) substantiales, fundamentales, necessarios ab accidentalibus, accessoriis, incertis discernant. Primos inter statuunt: Fidem in DEUM unum & trinum, in Christum pro salute humani generis passum, mortuumque, qui etiam a mortuis resurrexit, bonorum retributor, vindexque malorum futurus. Fidem eorum, quæ

quæ in Symbolo Apostolorum continentur, eorum denique omnium, quæ suus cuique Spiritus S. inspiraverit. Hæc summa est doctrinæ indifferentium, reliqua accidentalialia dicunt, quæ credere vel non credere, parum aut nihil ad salutem conferat. Quasi vero major DEO fides habenda foret Christum passum aut mortuum revelanti, quam Cœnam Domini, aut alios articulos, quos a necessariis belli hi Theologi discernunt.

Hujus furfuris libelli a compluribus novatoribus editi sunt: ut a Samuele de Pufendorff Jus Feciale Divinum de consensu & dissensu editum Lubecæ 1695. Theologia comparativa, edita prius a Jacobo Garden, tum ab Anonymo Cibinii 1709. recusa; qui tamen omnes in pace diversarum religionum concilianda nihil agunt, quod non ab aliis jam dudum nequicquam actum sit. Ut adeo novi duntaxat comites iis accessisse videri possint ad idem Sisiphi saxum volvendum.

Facem certe Pacificantibus prætulisse Zenonem Imperatorem memorat Evagrius L. 3. c. 14. & 30. Eandem cramben co-

xit Apelles Marcionista apud Eusebium L. 5, Hist. c. 13. Eadem obganniere Joannes Crocius in vindiciis Anti-Becani, ubi accerrime contendit Lutheri inter & Calvini sectatores nihil omnino esse fecerendum, internoscendumque, sed æque hos ac illos in sua fide salutem æternam consecuturos. Joannes Serranus L. de Fide Catholica, & multi alii in eundem sensum abrepti: ut adeo Indifferentes, seu Pacificantes hodierni nihil sibi de Enthufiasmo etiam hoc, vanaque Morphei illusionem vindicare possint, sed fateri cogantur eandem ante illos odea jam priores Novatores cecinisse.

Non est propositi mei geminæ hujus sectæ gravissimos errores argumentis refellere, nec voluntate in id inclinor, cum persuasum habeam Indifferentibus, ac Pacificantibus ipsis probe perspectos esse, nec alia de causa iis adhærere, quam ut collyriò sibi aliquò oculos inungant: & quia à Catholica Religione alieni, fundamentis carent, quibus tuto innitantur, hoc quasi soporifero mordentem conscientie vermem sopiunt, hac esca (quantumvis

tumvis venenata) objecta quietem illi si-
bique conciliant. Erit, cum alius id ner-
vose præstabit, quod ego ab instituta va-
riarum gentium, ac religionum narratio-
ne alienum esse duxi.

Absolvimus variarum in Dacia genti-
um ac religionum originem, felicem pa-
riter atque infelicem earum progressum
narratione utut incompta, sincera tamen
exegimus. Ex qua demum illud confici-
as: secunda jam inde à D. Regis Step-
hani temporibus Daciæ fluxisse sæcula, nec
tam exterarum gentium adventu, quam
peregrinis, & ab Orthodoxa Religione
alienis dogmatibus admissis fuisse turbata.
Felix quippe aurea pace, plena populo,
fœcunda frugibus, Transylvania conspi-
ciebatur, quamdiu Catholica profitebatur
Mysteria: horum verò sublatâ reveren-
tiâ omnis in unam signa sustulit calami-
tas Transylvaniam. Nec ante medelam
acceptis vulneribus sperare licet, quam
legi sub Ferdinando Rege sanctissimo in
Posoniensibus Ungarorum Comitibus An.
1550. latæ subscribamus: „ Sancta &

„ Catholica fides ac Religio DEique O-

„ ptimi Maximi cultus juxta veterem San-
 „ ctorum Patrum doctrinam longo tempo-
 „ re per universum orbem Christianum
 „ receptam atque approbatam, ubique in
 „ Regno restituatur: quo demum conse-
 „ quemur, ut sit vera & solida animo-
 „ rum conjunctio, unioque in regno,
 „ ac exinde DEI Optimi Maximi
 „ misericordia in dies magis
 „ augeatur.



PARS



PARS SECUNDA.

Principes Transylvaniae
ab Anno 1571.

STEPHANUS BATHORI.



Amplissimas Geographi regiones, quas nec oculis emetiri potes, totas angusta in tabella spectandas exhibent: imo cælis imminetia montium juga paucis in punctis tam scite comprehendunt, ut in punctis montes videas, & eorum molem sine mole intelligas. Et nos similiter facere materiae, quam narrandam suscipimus, dignitas cogit, & ubertas. Principes enim Daciae repræsentamus; quorum amplitudinem mirari nobis conveniat potius, quam verbis velle complecti. Gesta quoque eorum attingimus:

mus: quæ si accurate hic persequi velimus, Iliadem in nucem denuo cogemus. Unus Stephanus Bathorius, nomen usque ad sidera notum, volumen grande exposceret, nisi jam volumina, imo orbem præclaris factis, & immortalis nominis sui gloria implevisset. Ut tamen ejus vel paucis, si gestorum ipsius infinitatem spectes, meminerimus, exposcit adversus Patrem Patriæ gratitudo. Jure quippe ejus memoria vivere debet in nobis, per quem Patria nostra etiamnum vivit, & viget.

Heros igitur iste regia editus stirpe, O-podo Scytharum Rege stipite, regio & ipse genus suum coronavit diademate, satis ita volentibus, ut responderent ultima primis, nec divina hujus vetustissimæ Familæ in Divos, & homines pro-merita manerent non satis honorata. Post adolescentiam honestis disciplinis exactam, minoribus in subselliis adhuc consistens, maxima bello, paceque edidit facinora, ut fasces, quos sibi astra destinaverant, non fortè, sed virtute consequeretur. Binas enim ad Ferdinandum I., & Ma-
ximi-

ximilanum II. Cæsares pro Joanne Sigismundo Zapolyio legationes obivit, quibus uti sui existimationem auxit, ita Patriæ pacem, Sigismundo conjugem Joannam Imperatoris Ferdinandi filiam conciliasset, si quod ipse pene jam profligaverat, aliorum dolus non evertisset. Ad arma interdum conversus Sathmarinum Cæsarianis eripuit, Patakinum deditione cœpit, Cavatonem solo æquavit, Bidi- am arcem summa celeritate occupavit, strenui ubique Ducis ac militis munere perfungens. Tollebatur ad hæc ad astra Bathorius ab omnibus, at non a livore, & hæresi arriana obcœcatis Zapolyii senatoribus; a quibus hoc solo nomine, quod orthodoxæ Religionis tenacissimus esset, inconstantis, lubricæque fidei insimulabatur, & clanculariis non semel insidiis petebatur. Quid tamen effecit livor? excelsam Herois virtutem hæc lima expolivit, ut postea clarius effulgeret in solio.

His procedente tempore, & aliis rebus domi, forisque præclare gestis, atque etiam regia formæ, ac staturæ dignitate,

qua omnes Daciæ Optimates facile superabat, meruit, ut sublato è vivis Joanne Sigismundo, & rejecto æmulo Bekessio arriana lue infecto, An. salutis 1571. è Præfectura Varadiensi evocaretur, & adnitente fratre Christophoro Bathorio, id temporis Daciæ Governatore, conspirantibus omnium votis in Vayvodam Transylvaniæ eligeretur, Principisque titulô primus festivas inter acclamations insigniretur. Placuit hæc electio utrique Monarchæ, Selymo nempe Orientis, & Maximiliano Occidentis, atque idcirco utriusque calculo firmata est. Non item Bekessio, qui ut prius Principis dignitatem spe devoraverat, ita postea novi Principis imperia detrectabat. At cujus imperia ferre non volebat, nec arma sustinuit. Ea re ex Fogaras, in qua arcta obsidione conclusus erat, elapsus ad Maximilianum Imperatorem se contulit, salutem apud ipsum, & si Superis placeret ambitam, ac prensatam dignitatem quæsiturus.

Obtento sic Principatu nihil Christiano Heroi magis cordi fuit, quam bacchanti hæresi occurrere, ruenti contra veræ religio-

gioni opem ferre. Alterô proinde sui Principatus annô, Christi 1572. saluberrimum fecit decretum, quô synodum Lutherico-
 larum tunc in Dacia frequentissimorum Medgyesini congregatam, jubet doctrinam Catholicam symbolo Apostolico, Nicæno, & Athanasiano comprehensam profiteri. Doctrinam item Catholicam de Pœnitentia, de Fide, de Justificatione, de bonis operibus, lege Dei, mandatis Ecclesiæ, de Sacramentis divinitus institutis, Baptismo, & Cœna Domini, in quibus præsertim Novatores ævi nostri se cerebro-
 sos exhibent, assidue proponi: demum uniformem in consuetis Ecclesiæ ceremoniis usum servari: Magistratus item omnium ordinum, & graduum è publico suggestu identidem commoneri, ac edoceri, „ se divinitus electos esse (verba sunt „ decreti) non tantum ut corpora tueantur, aut divitiis cumulandis inhient, „ sed ut servent vocem decalogi, in externa disciplina honestas leges sanciendo, „ interpretem vocem legis Divinæ. „ Prohibeant edictô publicô falsa dogmata, blasphemias horrendas, adversus

„ DEum unum & trinum : arceant ab
 „ ovili lupos , aut si furere non desinant ,
 „ etiam pœnis corporalibus affectos tol-
 „ lant è vivis , ut sit pax Ecclesiæ DEI ,
 „ & scandala , quibus provocatur ira
 „ DEI , cessent. Plura alia his consimilia,
 „ auro cedroque digna Princeps religiosissi-
 „ mus sancivit , quibus novos in dies do-
 „ gmatum architectos omnia miscentes co-
 „ èrcere , & collapsam disciplinam restitu-
 „ ere , pro virili adnitebatur.

Non diu hæc virtus unius duntaxat
 Provinciæ ambitu continebatur , nec soli
 Daciæ debebatur , quæ amplissimo cuique
 Regno moderando par erat. Perstrinxit
 hæc Polonorum oculos , qui ut ipsi fortif-
 simi ac religiosissimi sunt , ita Principes
 sibi germanissimos exambiunt. Hinc Hen-
 rico Valefio eorum regnum deserente ,
 & ad Francicam Coronam abeunte poti-
 ori suffragiorum parte ab eis in Regem
 eligitur. Et Anno 1576. per Oratores
 submissos monetur , ut regnum amplissi-
 mum jure electionis sibi debitum , primo
 quoque tempore adiret. Bathorius nihil
 cunctandum ratus , indictis actutum ad
 Medgye

Medgyesinum Comitiis , regnum sibi oblatum acceptat , & coram Legatis Polonorum 8. Febr. se sacramento, solenni more obstringit, pollicitus se Superis benefaventibus ad illud ineundum quantocyus profecturum. Fecisset etiam , nisi Maximilianus Imperator, qui & ipse parte suffragiorum ad idem regnum vocabatur, bello moram iniecisset. Quo tamen effectum nihil, nisi ut Laureatus Princeps ardentiore a Polonis studio expeteretur. Ut enim acceperere Poloni contra tantum adversarium gloriose triumphasse, vehementioribus quam unquam antea in eum studiis exarsere, ardentioribusque ejusdem adventum accelerari precibus petiere. Ubi vero cum splendido apparatu jamjam adventantem audiere; exiere obviam cum exercitu, & Cracoviam introductum Calendis Maji Poloniæ ac Lytuanicæ coronâ capiti ejus impositâ inauguravere. Quam vero cumulate Polonorum expectationi responderit quantaque ad immortalem nominis Polonici gloriam gesserit, hocce compendium non capit, Sarmatarum volumina docent.

Rex

Rex creatus Bathorius Christophorum Fratrem suum ea ratione sui successorem constituit, ut & sibi jus, titulumque Principis Transylvaniæ retineret. Quod quidem non ambitione, sed charitate Patriæ faciebat, ut nempe sic junctis cum Fratre viribus, Daciæ, pro qua se sanguinem fundere paratum dicebat, & labanti in ea veræ Religioni certius prodesse posset. Luculente patuit hæc ejus intentio, cum decem è Societate JESU viros in Daciam transmisit, fundatis subinde regia munificentia binis eidem, Albæ nempe, & Claudiopoli Collegiis, quæ non contentus omni dum viveret jure stabilire, moriens quoque Nepoti suo Sigismundo efficacissimis in testamento suo verbis commendata voluit.

Quia vero Divini Rex consilii perspexit ad reparandum Religionis felicem statum id maximi momenti fore, si juvenus honestis disciplinis, atque altioribus scientiis, quibus speciosi novatorum fuci deteguntur, imbueretur: Academiam in urbe Claudiopolitana instituit, eamque ornamentis omnibus, juribus, ac prærogati-

gativis, quibus aliæ per orbem Univer-
 sitates gaudent, excoluit, confectis hac
 super re literis regiis, & ad Fratrem
 Christophorum Anno 1581. 12. Maji
 transmissis. Ne vero necessarius in urbe
 tum hæretica juventuti victus deesset, Se-
 minarium juvenum, quod jam à Fratre
 Vayvoda feliciter inchoatum fuerat, tam
 Nobilium. quam Plebejorum, qui ob te-
 nuem fortunam ingenium literis excolere
 non possunt, liberaliter auxit, mille ad
 eam rem aureis nummis annis singulis in
 perpetuum pendendis, ex censu Cathed-
 ratico Curionum Saxonum assignatis.
 Audis hæc Juventus Dacica: da igitur
 operam, per sanctissimos Parentis tui Ma-
 nes te obtestor, ut piissimæ ejus benefi-
 centiæ respondeas, virtutique ac literis
 ea sedulitate te impendas, ut saluberrimi
 ejus conatus, ac desideria finem sibi præ-
 stitutum per te consequantur. Tua enim
 ille operâ priscam Majorum pietatem re-
 vocandam, veram religionem Patriæ re-
 stituendam, errorem è civium vestrorum
 fibris evellendum certo sperabat. Nefas
 sit tam justæ spei non respondere.

Tandem

Tandem optimus Princeps, de DEO & hominibus optime meritus, Grodnæ in Lituania annum ætatis agens 53. ingemiscente toto orbe Christiano è vivis excessit improlis.

Ejus corpus tertio ab obitu anno, nimirum An. 1588. Grodna lugubri ritu Cracoviam delatum, mense Majo ejusdem anni, in sacello Templi Pontificalis retro altare majus conditum est. Neque enim alio sepeliri loco verum Ecclesiæ filium conveniebat, qui vel moriturus supremis verbis de cultu Divino augendo, provehendoque suis mandata dabat. Vir erat incomparabilis, magnificus, liberalis, facilis, militaris scientiæ juxta ac liberalium disciplinarum amantissimus, par maximis quibusque Heroibus. Polonis sane tantus visus est, ut vi bellica, magnitudineque animi, victoriarum cursu & numero non tantum eos, qui paulo ante eum in Polonia regnassent, sed etiam superioris sæculi Reges summò gloriæ fastigiò supergressus ab eorum scriptoribus tradatur. Quam vero merito id asseratur, argumento sit sepulchralis inscriptio à Jo-
anne

anne Zamofcio, magno Poloniæ Cancellario eidem concinnata. „ Stephanus Magnus „ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, „ Princeps Transylvaniæ, post constitu- „ ta judicia, receptas Livoniam, Polo- „ ciamque Provincias, prolatos (adjecto „ agro Vesiliensi vastissimo) Litvaniæ fi- „ nes, parta pace Victor, Triumphator, „ Pater Patriæ, excessit è vivis 1586. „ idibus Decemb. postquam regnasset an- „ nos 10. menses 7. dies 12. Et tu Da- „ cia quid Principi, verius Patri tuo opti- „ mo in grati animi monumentum præsta- „ bis? quibus elogiis, statuis, ac colossis „ ejus memoriam honorabis? noli laborare: „ frueri ejus beneficiô, & quæ ejus mu- „ nificentia accepisti, facta tecta tuere: piis „ ejus Manibus bene precare, & officio fe- „ cisti satis.

CHRISTOPHORUS BATHORI.

Christophorus Bathori priusquam ad Principis Daciæ dignitatem evehere- tur, in aliis, iisque spectatissimis mune- ribus virtutem suam egregie Dacis proba- vit, eam solum dominationem jure ob- tentam

tentam existimans , quam virtus , non cæca fortuna pararet. In primis enim mortuo Joanne Sigismundo Zapolya Arriano , ne quid Respublica defectu capitæ detrimenti caperet , ab Ordinibus Provinciæ Gubernatoris nomine præesse iussus est. Stephano Bathorio in Principem Transylvaniæ publicis suffragiis electo , ipse in Præfectura Varadinensi Fratri suo successor factus ; in ea administranda tamdiu perseveravit , dum idem Frater suus ad Coronam Poloniæ capeffendam evocaretur. Habebat autem in animo Stephanus adhucdum Transylvaniæ Principatum inierat , rem Catholicam in subiecta sibi Provincia ad pristinum splendorem revocare , grassantemque late hæresim coercere , Societate etiam Jesu in subsidium advocata. Quia vero ad id perficiendum unius Daciæ Principis opes suffecturæ non videbantur , Divinô prorsus consiliô , ut supra insinuatum , abiens in Poloniam Fratri Christophoro ita Provinciam summa cum potestate tradidit , ut tamen penes se simul jus & Titulus Principis Transylvaniæ remaneret.

Obten-

Obtenta hoc modo summa potestate Christophorus nihil antiquius esse duxit, quam sanctissimis Fratris sui Poloniæ Regis votis obsecundare, & desideratam pridem Societatem JESU in Provinciam introducere. Eam ob rem literas dedit ad summum Pontificem Gregorium, ejus nominis XIII. ad Præpositum item Generalem dictæ Societatis Everardum Mercurianum, & ad Regem Fratrem, quibus Patres Societatis nuncupatissimis votis expetebat, addens: quam uberes in sterili hoc, & loligine luxuriante agro unius duntaxat Joannis Leleszii Apostolicus labor, & inculpatae vitæ exemplum, fructus jam peperisset.

His literis perceptis Rex Stephanus Anno 1579. manipulum decem Sociorum misit, qui ut ante adventum Christophoro desideratissimi, ita postquam advenissent, fuere acceptissimi. Deductis actutum Colos-Monostorinum, Oppidi ipsius, Abbatia, & duorum pagorum Bács & Jegenye possessionem pia in Patres ac Patriam liberalitate contulit, confectis hac super re foundationis literis, &

dimidii, prius, quam advenirent, anni spatio promulgatis.

Atque ut deinceps quoque suo in Societatem affectui, & Regis Stephani voluntati morem gereret, gnaviter urgebat fabricam Collegii & Seminarii in ipsa urbe Claudiopolitana, in quam tempore non ita multo habitationi accomodatam An. 1581. mense Aprili Societatem, & juventutem ejus institutioni per publica Regni comitia creditam induxit, æquum judicans eos mœnibus urbis recipi, qui urbibus bonos cives, civibus incorruptos Magistratus pararent.

Ne autem Adolescentes, quibus angustiores fortunæ, victus inopia à studiis revocarentur, attribuit eorum Seminario decimas integras possessionis suæ, Makó: atque sic Seminarii pauperum initium fecit, quod paulo post paterna Gregorii XIII. liberalitate, ac pia Regis Poloniæ munificentia insigniter auctum, etiamnum maximo Reipublicæ Dacicæ emolumento perseverat. Quippe viros gignere non desinit, qui & afflictæ religioni opem ferant, Patriæ in quacunque

que fortuna constitutæ manum porrigant, & ipsi Provinciiis, si fors ferat, cum laude præesse nôrint.

Eodem anno 1581. Calendis Maji Comitia Generalia Princeps Christophorus Claudiopoli inchoavit, in quibus Nobilitas eidem successorem juravit Sigimundum filium ætate octennem. Decretum præterea est, ut si qua civitas, aut frequens populus Catholicos peteret Sacerdotes, ne fraudi esset Principi eos concedere. Hac etiam Comitiorum celebritate usi PP. Societatis JESU Theses de authoritate Traditionum disputandas proponunt, eas plerisque Ministrorum, qui amplius 50. convenerant, tradunt. Ubi dicta disputationis dies illuxit, venit cuncta Nobilitas in Collegium; venit Princeps cum Filio, confluit ingens hominum multitudo: summa undique expectatio: nullus interim adest Ministrorum, qui manus conferat; quærentur, sed frustra; disparuerunt universi. Patres deinde, nullo comparente adversario inter se exercitationis gratia, & ad illustrandam veritatem disceptantes

Auditorem frequentissimum expectatione sua frustratum dimisere. A meridie Transylvani adolescentes Drama, Principe, Proceribusque spectantibus edidere. Ita illud liberalis institutionis specimen arrisit; ut certatim Nobiles, quam hæretici suos liberos Collegii disciplinæ committerent.

Felix & secundus rei Catholicæ hic annus videri poterat, præsertim cum & uxor Principis Christophori, Calvinianæ sectæ columen Elizabetha nata Botskai, diem supremum obierit. Nisi & ipsius Principis mors non multo post secuta fuisset. Tentari morbô is primum cœpit Claudiopoli, quo Comitiorum causa accesserat. Inde vero Albam rediens, inclementis podagræ, & articulorum doloribus plane ad extrema deductus est. Quod ubi advertit, mœstissimos ad se Senatores accersivit, eorumque fidei Filiolum suum Sigismundum in ea ætate Vayvodam Transylvaniæ constitutum lacrymantibus oculis impense commendavit. Tum P. Joanni Leleszio, quem eger nusquam a suo latere digredi est

pas-

passus, eundem in pietate instituendum, in honestis artibus erudiendum tanquam alteri parenti e finu suo tradidit. Sic omnibus rite constitutis ad iter æternitatis optime comparatus animam Deo reddidit Anno ætatis suæ 51. Christi vero 1581 die VI. Calend. Junii.

Funeratus est A. 1583. magnificentissimis exequiis Albæ in Templo Societatis JESU a se constructo, quarum pompam ipse Rex Poloniæ Stephanus missis ad Sigismundum Nepotem suum literis præscripsit, & simul sumptuosum monumentum ex marmore & alabastro Fratri optimo fieri fecit.

Fuit hic Princeps mitis ingenii, & singulari mansuetudine Christiana præditus: Patriæ juventutis, & literatorum Mecænas munificentissimus: & vere Christophorus, qui minimam Christi JESU Societatem illo turbulentissimo rerum articulo suis humeris in Daciam intulit, fovit, stabilivit. Dignus, cujus memoria apud posteros sit in benedictione.

SIGISMUNDUS BATHORI.

Nondum ex ephebis excefferat Sigismundus, cum juratum Claudiopolitanis in Comitibus Anni 1581 deducto paulo post ad extrema Christophoro, Principatum obtinuit. Clarissimo editus Patre Stephani Bathorii Nepos effectus est, & utriusque in se derivans animi decora, utrumque gestorum gloria efformasset, nisi in calamitosa adeo tempora regnum ejus incidisset. Indolem quippe præferebat, quam fingi votis posset, egregiam; & veræ Religionis studium supra ætatem. Morum, ac bonarum artium Magistrum nactus est P. Joannem Leleszium, qui & aulam Regii Principis ab Arii, Calvinii, Lutherique repurgabat erroribus, & teneram Sigismundi ætatem ad annum usque duodevigesimum feliciter provehebat, donec orta Procerum in religionem conspiratio Societatem JESU, & cum illa, moderatorem Leleszium è Transylvania exturbavit. Obluctabatur initio Princeps, ut alibi retulimus, demum con-

tumacia hæreticæ nobilitatis fractus ,
 ne dimitteret Principis solium , Regni
 & Religionis dimittere debuit propugnacu-
 lum. At brevi , quos , qualesque vi-
 ros abire sivisset , didicit , cum ea re gra-
 vem in se Sixti V. Pontificis animad-
 versionem provocatam , & hæreticorum
 factiones invalescere sensit. Revocare
 igitur , in quorum exilium inconsultus
 consenserat , aggressus est , utque manum
 ultimam bene cœptis imponeret , Tran-
 sylvanis Ordinum omnium in Calendas
 Octobres Comitia indixit , minime dubi-
 us , quin Societatis in integrum restituti-
 onem impetraret. Quamobrem animos
 sibi Procerum , qui in hæreticorum parti-
 bus autoritate præstabant , devincire ,
 Andream Bathorium Cardinalem , patrum
 suum è Polonia accire , quorum ope ad-
 versus seditiosos triumpharet , ignarus
 quantam religioni perniciem pararet. Du-
 ctis suffragiis eo pars major Comitiorum
 incubuit , ut indictum Medgyesini Religi-
 oni , & Societati exilium novô decretô
 sanciretur. Eo quinimo processit adver-
 sariorum audacia , ut Transylvaniam in

Turcarum fidem, clientelamque conferre cogitarent potius, quam in ea non jam Societatem, sed vel Religionem Catholicam stare paterentur. Ita nempe projecta ad audendum est feditio, si nequeas resistere.

Non latuit tanta rerum turbatio Clementem, Romanum id temporis Antistitem, quam si non prorsus sedaturus, cohibiturus saltem, in id toto conatu incubuit, ut Sigismundum ad feriendum in Turcas ferro flammaque Ungariam vastantes, fœdus induceret. Sigismundo ipsi primum in id animum fecerant aucta recens vectigalia, & iniquissima Sinani mandata, quibus ad bellum adversus Rudolphum Cæsarem in Pannonia gerendum, factu difficillima præcipiebantur. Sibi itaque, Provinciæque suæ consulturus Comitia pro asserenda publica libertate Szász-Sebestinum indixit. Ubi quum magnitudinem periculi, perfidiam Turcarum, insidias Sinani, ac viam, qua illæ evitarentur, defectionemque ab impia barbarorum societate disseruisset, armaque cum Cæsare jungenda suavisset: in diversum abire Proceres

ceres animadvertit , ac nova animo volvens consilia , ut ad dictum diem Tordam armati convenirent , certique aliquid deliberarent , edixit. Convenere frequentissimi ; at plerique ab ineundo fœdere alieni , ac in Principem conjurati , certique redire ad partes Turcarum : & cum Sigismundi exercitum in potestate haberent , eo miserum adegere Principem , ut fugæ consilium inire cogeretur. At oratione Carillii S. J. Sacerdotis confirmatus , mutato fugæ consilio , & vicinarum arcium præsidio adjutus , Claudiopolim ad Comitiam , quæ factiosi indixerant , revertitur. Mira subito facta animorum mutatio : Principis de barbarorum jugo excutiendo fœdereque ineundo sententiam metu compulsi probarunt omnes : die quæ secuta est Baptistæ decollato sacra , sumptum de conjuratis decem & quatuor Proceribus supplicium : capti quippe , & carcere aliquamdiu detenti , vita alii , alii fortunis ac Patria privati sunt. Sedato utcumque tumultu Anno 1595. Oratorem ad Rudolphum Cæsarem misit Carillium , hunc secutus subinde est Stephanus Bots-

kaius cum nonnullis aliis , qui non multis diebus interjectis , conditionibus rite conceptis fœdus cum Cæsare pepigerunt. Has inter : Sigismundo Principis titulus cum torque Aurei Velleris , ac Transylvania omnis cum annexa Ungariæ parte , Moldavia , & Valachia (quarum Vayvodæ à Turcis defecerant) pleno jure conferebatur ; sponfa item Maria Christierna Caroli Archiducis Austriæ filia , quo fœdus ictum nexu quodam cognationis stabiliretur , est concessa , quam ineunte æstate in Transylvaniam deductam Sigismundus apparatu plane Regio Albæ-Julix matrimonio sibi junxit.

Non ignarus vero , excusso barbarorum jugo Turcas in se , Provinciamque suam arma moturos , nihil potius habuit , quam rebus suis , Reique publicæ consulere. Suas igitur in partes pertractis. Resuano Moldaviæ , & Michaële Valachiæ Principibus , junctis viribus in Sinanum Turcicarum copiarum Ducem suoapte ingenio Transylvanis infensum , & jamjam Transylvaniæ , ac Valachiæ ingenti cum exercitu imminentem , insurgere decernit : haud parum
ani-

animatus victoriis , quibus nuper Totvardam , Fatsadum , Lippam , aliaque munitiora loca Turcis subiecta ditioni suæ adjecerat. Comparato itaque quinquaginta & duorum millium exercitu , castra ad Rucariam promovit. Et vero victoriis Sigismundi , cælum omine prælusisse videtur : delapsa enim præcipiti volatu è vicinis alpibus aquila , prope tabernaculum prætorianum confedit , quam humo se se attollere nequeuntem , milites captam boni ominis ergo Principi obtulerunt. Nec vanum fuisse omen docuit eventus : Sinanum quippe Ducem ea ætate gloriosissimum vel sola adventus sui fama semel ac iterum fugavit , Tergovistam , Sicularum suorum , sacro bellandi ritu JESU & MARIÆ Nomina inclamantium virtute expugnavit , Turcarum infecutus exercitum , ad Girkionem quinque eorum millia partim aquis merfit , partim ferro cæcidit , tanta edita strage ; ut Istri alveus animalium , hostiumque cæforum cadaveribus oppletus , ac multo cruore immixtus cursu suo inhiberetur. Arce demum ipsa ab arte , à natura loci munitissima potitus , vindicatis

in libertatem quinque Christianorum milibus, re bellica hosti erepta, & opimis dives spoliis in Transylvaniam est reversus: vel hoc nomine gloriosissimus, quod Sinanum superbum, ac indomitum Principem, qui omnia ambitioni suæ cessura existimabat, Princeps admodum juvenis sapere docuisset. Non minori ardore Anno 1596. in Temesiensem Purpuratum ditioni suæ vim intentantem invecus, castra sua ad Temesiam usque arcem promovit, qua nequidquam oppugnata, manus cum hoste conseruit, ac cæsos, profligatosque ad tertium milliare periecutus est. Pari ad Agriam felicitate cum Maximiliano contra Mehemetem rem gessisset, nisi Panicus quorundam terror palmam victoribus extorsisset.

Gloriosa hæc extra Provinciam fere gesta, ingens rerum in Dacia excepit inclinatio. Sigismundus seditionum domesticarum pertæsus, atque adeo tot jam bellorum pro Dacia susceptorum tædiō victus, de abdicando Principatu cogitavit. Quare initio anni 1597. Pragam contendit, ut torquem aurei velleris acciperet, & quæ

& quæquæ de tradenda Cæsari Transylvania tractare cæperat consilia, sine aliquo terminaret. Maluisset sane Rudolphus Sigismundum Transylvaniæ præesse, nec repentinum probabat consilium, quinimo conatu omni ad illud immutandum hortabatur: At Sigismundus, cujus animum obfirmata quædam libido occupaverat, ut honestis & præsentibus, incerta perniciosaque præferret, tanta obstinatione in sua persistebat sententia; ut si Cæsar nollet, cum Polonis se, vel Turcarum Principe, de Regno transacturum affirmaret, dum impacata Provinciæ administratione excedere, optataque quiete perfrui liceret. Ne igitur insignis Ungariæ portio in exterorum, aut barbarorum potestatem veniret, ad necessarias cum eo condiciones Cæsar descendere est coactus: nimirum ut Transylvania in Rudolphi jus, ac ditionem cederet; Sigismundus Oppolitanum in Silesia Comitatum cum 50000. nummum aureorum pensione acciperet. Ejusmodi pactiõnem An. 1598. convocatis Albam ineunte Aprili Comitibus significavit,

popu-

populumque sacramento solvens, Rudolpho, ejusque Præfectis parere jussit; gravi prius oratione admonitum, ne solita ad res novandas mobilitate ageretur, neve inconstantiae nomen, ut quondam Punicæ fidei dedecus, in proverbium abiret. Demum in Silesiam secessit. Privatus ibi è Principe, solus, ac extorris è Magistratu amplissimo, Procerumque comitatu, aliquamdiu degens, abjectam temere dignitatem repetere constituit: tum se delusum questus, Claudiopolim exeunte sextili Anni 1598. revertitur & à suis Transylvanis in Principatum restituitur, duabus tamen propositis conditionibus; una, ut Societas JESU Alba, & Claudiopoli pelleretur: altera; ut Templum Albense Societatis, hæreticis traderetur. Quod quidem postremum Catholicus Princeps renuit; ut vero Societas Alba tantisper exesset, tempori cedendum ratus, non recusavit, datis literis innocentiae testibus, & vectigalium usu concessio, cui anno sequente Collegium ipsum restituit.

Atque ut Sigismundi abdicationem

nun-

nunquam Clemens Romanus Antistes probaverat, ita ejusdem restitutionem non improbavit. At Sigismundus metu belli fractus, quod Cæsar (ut Transylvaniæ possessionem ex fœdere iniret) parabat; de abdicando iterum Principatu cogitavit. Ab iis igitur quibus invisa erat Austriacorum pietas, ac potentia, persuasus, Fasces in Patrum suum Andream Bathorium Cardinalem transtulit, remissâ ad Matrem Mariâ Christierna, quam fascinatus averfari cæperat. Anno 1599. Andrea ex acie profugo, & ab hostibus fugientis vestigia prementibus cæsô, in ditionem Cæsaris redacta est Transylvania. At Sigismundus privatam pertæsus vitam, & à suis adversus Austriacos concitatus, nomen rursus Principis ac Personam sumpsit. Atrox eam ob rem Albam inter & Claudiopolim prælium semel, ac iterum commissum; succumbente semper Cæsari Sigismundo. Qui demum tot adversis rebus offensus, Principatu in perpetuum relicto in Bohemiam concessit, ubi reliquum quod superfuit vitæ, privatus egit:

egit: gloriosissimi juxta ac felicissimi Principis nomen, deposito etiam onere, Caroli V. exemplo, apud posteros consecuturus, nisi partam gestis amplissimis gloriam repetita toties inconstantia maculasset. Obiit Anno 1603.

RUDOLPHUS II.

Rudolphus II. Imperator debita Ungariæ Regibus jam inde à D. Regis Stephani temporibus Transylvaniæ insignia, nuper duorum eadem tempestate Regum Ferdinandi, & Joannis Zapolyii factione, in Joannem Sigismundum, inde in Bathorios translata, missis in Transylvaniam Legatis Stephano Szuhaio Episcopo Vacziensi, Bartholomæo Pecsio, & Nicolao Istvanffio, certis cum Sigismundo initis conditionibus recepit An. 1597. Has inter, præter jam dictas præcipua fuit: ut, si Sigismundus animum ad sacra suscipienda adjiceret, apud summum Pontificem pro consequenda Purpuræ dignitate omnem suam operam Rudolphus interponeret. Stetit conventis imperator: at Sigismundus paucis
ela-

elapsis mensibus , absente etiamnum Ma-
 ximiliano , cui Rudolphus Transylvaniam
 destinaverat, seditiosorum quorundam ope-
 ra in solium repositus est, quod quidem,
 imminentis belli rumore territus Sigis-
 mundus deseruit: neutiquam vero Regnum
 illico Imperator Rudolphus sibi asseruit;
 sed in Andream Bathorium, factiosorum
 consilio est translatum. Vindicavit illud
 armis Cæsari non multo post Michaël Va-
 lachiæ Vayvoda, ac interea Georgius Ba-
 sta, exercitus Cæsarei ductor Rudolphi
 nomine gubernavit. Nova illico rebus
 Dacicis lux cæperat oboriri: Divorum
 delubra legitimis reddebantur possessori-
 bus, exul Jesu Societas pristinas in se-
 des, ac Collegia restituebatur, spes un-
 dique reponendæ ubique Religionis af-
 fulgebat. Et respondisset eventus, nisi
 eam animi levitate Sigismundus profligaf-
 set. Geminato Rudolphi exercitum ag-
 gressi prælio Sigismundus, & Moyfes
 Siculus, & si non omnino enervarunt, at-
 tenuarunt tamen, vel saltem occuparunt:
 donec fufis fugatisque Transylvanis, Si-
 gismundus sinistra offensus fortuna è Tran-
 sylv-

Sylvania excessit : Moyfes vero duplici superatus prælio , interfectusque est.

Subjecta iterum Rudolpho Dacia , Austriacæ illico pietatis editum specimen , rediit sua Catholicæ Religioni libertas , ac securitas : Divinum Christi Corpus , per Urbis Ario nuper deditæ compita solenni supplicatione deportatum est , collachrymantibus præ gaudio plerisque , senibus præsertim , qui eandem cerimoniam ante annos facile quinquaginta visam à se narabant : Reddita denique DEI Filio reverentia magnis in dies incrementis res Catholicorum augebantur : donec Stephanus Botskaius eos in invidiam adducturus famosum promulgavit libellum , in quo exploratum sibi esse affirmabat : Rudolphum , & Pontificem id concordibus animis , atque armis moliri , ut omnes à Romana fide alienos exterminarent , eorum dicerent bonis , & imperii fines ultra proferrent. Ad hoc tam immane periculum se arma sumpsisse , ne dubitarent sequi se præeuntem , & sacra , Patriamque suam Duce se defenderent. Hoc velut classico excitati Transylvani palam à Cæsare desciscen-

Sciscientes arma corripuere, pulsoque Du-
 ce Cæsarei exercitus, Botskaium Princi-
 pem proclamant. Ita Transylvania Ca-
 tholico nuper Principi reddita, excusso Ru-
 dolphi Imperatoris; pacis, quam belli
 amantioris imperio, Principi à sacris Ca-
 tholicis alieno parere cœpit, quem alii
 subinde, serie, quam dabimus, excepe-
 runt.

ANDREAS BATHORIUS CARDINALIS.

Sigismundus Bathorius contra fidem Cæ-
 sari datam, receptam Transylvaniam
 Rudolpho iterum cedere meditabatur, Le-
 gatis etiam eum in finem Pragam missis.
 Verum solita animi levitate actus, an se-
 ditiosorum consilio? Regni fasces Andreæ
 Patrueli deferre maluit, quam juratam
 Cæsari fidem observare. Episcopatum is
 Varmiensem in Prussia, Polonicæ tum di-
 tionis Provincia, collegio Purpuratorum
 adscriptus obtinebat: unde clam evoca-
 tum, Sigismundus Principem certis sub
 conditionibus dixit. Eas inter prima fuit:
 ut quotannis vicena & quatuor aureorum

nummum millia penderet. Quibus ultro promissis, initum Andreas Principatum firmaturus, geminas Anno 1599. instituit Legationes: Ad Michaëlem unam, Valachiae Transalpinæ Vayvodam; qua novi Principis amicitiam, bonique vicini officium expetebat, vicissimque pollicebatur: Ad Ceorgium Bastam alteram, Cassoviæ tum commorantem, qua Michaëlem nova pellendi sui, occupandæque Transylvaniæ consilia agitantem deferret. Clemens interea Pontifex Cardinalem ad fœdus cum Cæsare ferendum per Germanicum Malaspina, Antistitem Casertanum exhortabatur. Nec irritò conatu; fidem quippe suam ad obsequium Cæsaris semper paratam obtulit, ejusque rei confirmandæ ergo virum ordinis Senatorii Stephanum Kakassium ad Rudolphum misit.

Ita rebus Daciæ constitutis Comitia ad D. Lucæ festum Albam-Juliam indixerat, fœdus cum Cæsare, ac Pontifice initum promulgatus: cum adfertur Michaëlem Transalpinum magnis stipatum copiis Alpes superasse, hostileque quidpiam armis,
ac in-

ac incendio Coronæ moliri. Solutis repente Comitibus Casparum Kornisium exercitui præfecit, ipse cum sex armatorum millibus in campis Cibiniensibus Michaëli occurrit.

Atrox die Divis Apostolis Simoni, & Judæ sacra, cruentumque prælium committitur: Nihil initio Transylvani omiserunt, quo novum Principem defenderent; irruentibus deinde Transalpinis pedem referre, postremo & terga vertere cæperunt. Profligatus cum suis Princeps Bathorius, fuga & ipse salutem consulere, abjectis Purpuræ ornamentis, villosa tectus veste coactus est. Et jam ad radices montium Transylvaniam à Moldavia & Podolia dirimentium, crebro suspirio suæ indignatus fortunæ, cum parva suorum manu pervenerat, quum in opiliones quosdam, nocturnis ignibus calescentes incidit; quorum unum aureo donatum nummo cum pro haurienda vicino è fonte aqua fame ac siti lassus mittit, hostes sanguinarios, qui cruorem ipsius sitiebant, adesse sensit. Latrones nonnulli fuisse scribunt, agrestes Istvanffius Siculos Bulgaris.

garis, ac Valachis aggregatos, profugum ex acie Cardinalem per montium juga persequentes, Miconis adolescentis obviam missi nequidquam tentatos precibus, ac promissis, nil tamen motos, belluino in Principem furore irruisse, hostilemque impetum stricto aliquamdiu gladio eluisse; lethali demum in fronte, ac occipite accepto vulnere, exanimem corruisse. Ut cunque se res habeat: Lugendus certe Princeps est; quod Purpuratum sanguinem tutandis Patriæ finibus, non provehendæ Religioni Catholicæ voluerit impensum, Caput Bathorii abscissum ad Michaëlem primum allatum, deinde reliquo additum corpori magnifico sepulturæ honore curatum Albæ-Julix An. 1599.

STEPHANUS BOTSKAI.

IMpugnata non expugnata sub Rudolpho & Bathoriis Daciam, novus demum hostis feriit; ut errorum fieret theatrum, quæ summa iterum religione, Romana profequi cæpit instituta. In Patriæ perniciem conspiravere Filii, & quam illico evertere nequiverunt, ut everteretur labo-

laborarunt, dum excusso miti Austriacorum jugo Stephanum Botskaium de Kis-Maria, fabricatis à semet dotis adjutum, reclamante Rudolpho, Transylvaniæ Principem, ac partium Ungariæ Dominum An. 1605. Medgyefini salutarunt: quem non multo post Achmetes Turcarum Imperator traditâ per Legatum clavâ, ense, & vexillo confirmavit. Turbatis domi rebus, novisque tributis impositis post inaugurationem in Ungariam se contulit, non tamen sine barbaræ fidelitatis insignibus, ut novis alibi molitionibus, conciliandoque Mehemetis affectui idoneus redderetur. Fœdus Budæ cum Turca pepigit, & mox obligatæ fidei mercedem, coronam olim Thraciæ, enses auro gemmisque ornatum, sceptrum ac vexillum è Mehemetis manibus accepit, Rex Ungariæ ab eodem proclamatus. Gratas habuit Princeps Regiæ dignitatis notas, ne tamen geminum orbis Ungaricus numeraret solem, vastataque satis regio duobus parere Dominis Rudolpho & Botskai cogeretur; vel potius ne non Angelico insignitus diadema-

te , Regni usurpator audiret , coronam muneris loco se accepturum dixit. Odi- um reipsa ferebat in Regem , quod po- stea derivavit in civem. Non ego hic un- gvem impressero vulneri , quod nondum satis Annalium querelis deploratum , de- plorant hodieum Posteris , & notam Bots- kaii historiam uberrimis lachrymis defi- niunt. Tanto certe Religionis Catholicæ flagrabat odio , ut negaret se dominari posse , nisi ejus sectatoribus extinctis. Famam æqui , religiosique Principis am- biens , cordi sibi Jesu Societatem semper futuram dixit , daturumque operam , ne quid in eam præter jus & æquum statu- eretur. At quo reipsa esset in eam ani- mo , testatum fecit , cum deliberatum sibi esse Societatem exigere affirmavit , quod Religionem Catholicam in Transylvania sustentaret : & quamvis expertem crimi- nis nosset , proscripsit : quamobrem mo- riens quoque merito sese plecti exclama- vit. Nicolaum Mikacziium Varadinensem , & Georgium Szalatnakium Quinque- Ec- clesiensem Antistites captivos tenuit : multa popularium suorum millia barbaro- rum

rum jugo subjecit, Ungariam tumultibus involvit, furori suo, copioso suorum sanguine litavit. Utilior orbi Princeps mortuus, quam vivus: ubi enim seu hydrope, seu veneno, ut aliis placet, consumptus Gassoviæ, nullo relicto hærede quinquagenarius An. 1606. 28. Decemb. occubuit, Orientem, & Occidentem pacatum reddidit. Corpus Albam-Juliam Regia pompa delatum, in æde D. Michaëlis Archangeli magnifico funere tumulatum est.

SIGISMUNDUS RAKOCZI.

Stephanum Sigismundus excepit, ut dignitatis, ita errorum hæres: hoc altero superior, quod seditionibus ille ad Regni fastigium aditum aperiret: Invitus iste ob sævos articulorum dolores, qui membrorum pene omnium usum ademerant, Principatum iniret. Manus una officium non negavit, quo & suis patrocinari, & veritati posset adversari. Egit utrumque strenue, dum iniquas in Religionem Catholicam leges condidit: nervos insuper Religioni incidit, dum viros sacra profes-

sos instituta è suis Collegiis, bonisque
 „ non ob ullum delictum, (Sigismundi
 „ sunt verba) verum ad instantiam Ro-
 „ manæ & Catholicæ fidei contrariam opi-
 „ nionem sequentium proscripsit, Clau-
 „ diopoli 26. Junii Anno 1607. Vix me-
 moriam è brevi gestorum Fascium tempo-
 re consecuturus, nisi eo se facinore po-
 steris memorabilem reddidisset. Miti Prin-
 ceptis ingenio, & innata animi lenitate
 spem initio fecerat revocandæ, atque
 alendæ in Transylvania pacis, ac fore:
 ut Catholicis licet invisis temperaret, si
 Principatum diu retineret: verum attritus
 morbis dignitatem ambiendi cessit Gabrie-
 li Bathorio, altero ineunte Principatus
 anno; ipse vero corrasis in Transylvania
 thesauris locuples, retenta partium Pata-
 kinsium possessione, suas in ditiones
 secessit. Obiit in arce Szerencs, huma-
 tusque est Anno 1621.

GABRIEL BATHORI.

TRIBUTARIUS Bathoriis Transylvaniæ
 Principatus, jam in quintum tradu-
 ctus, in Gabriele desit. Turcarum ade-
ptus

ptus suffragium, & ab Ordinibus Transylvaniae Princeps renunciatus An. 1608. famam sui reliquit à Venere, tyrannideque probrosissimam, Specimen utriusque accipe: à Cibiniensibus in urbem non admissus cum eam arte haud multum ab illa dispari, qua olim Troja fuit devicta, cepisset, inclusis in vasa militibus, pro quibus invehendis, velut Principis suppellectili refertis, cives facultatem fecerant; viris urbe exactis, Andreae Bathorii Patruis sui injuriam, quod eum acie fusum recipere nolissent, propudiose vindicavit. Prælio ad Coronam à Moldaviae, & Valachiae Transalpinæ Vayvodis victus, inauditam in Transylvanos exercuit tyrannidem: opibus ac fortunis alios, vita alios spoliavit, hos è dignitatum fastigio, illos è faxorum immanium, turriumque apice præcipitavit, multos suspendiò necari, multos ignitis forcipibus, ac equorum ferocientium tractu discerpi jussit, vastavit oppida, pagos expilavit, fortunas diripuit, populares suos Turcis mancipavit. Nec satis furori suo litatum ratus plebejo-

bejorum funere, nobiliores depoposcit victimas. Ut enim omnem Religioni ac Societati restituendæ viam præcluderet, cujus aliqua sub Sigismundo Rakoczio spes affulserat, Proceres Catholicos, quibus utraque nitebatur, perdere statuit: illos in suum, ac patriæ caput conjurasse fingit, Comitia edicit, in quibus variis per calumniam onerati criminibus, omnium voce tanquam perduelles damnarentur. Non latuere Catholicos funesta consilia, adire recusant Comitia, munitis alii arcibus se includunt, alii fugam, arma alii ad injustam vim repellendam moliuntur. Procerum facile Princeps Balthasar Kornisius, qui P. Danielelem Vársárhelyium in Transylvaniam deduxerat, & cum aliquot è Societate contra leges inique sancitas domi suæ aluerat, cæsis partim, partim dilapsis Primoribus ac lecta armatorum manu è fuga retractus, ac plagis concisus ne è vestigio ad supplicium Bathorii jussu raperetur, supplex obstitit Nobilitas pro viro sibi charissimo, cujus integritas toti nota erat Provinciæ, & ad Bathorii pedes advolu-

ta impetravit, ut indefletus & ignotus longinqua in arce moreretur. Solenni præterea decreto, pœnisque gravissimis propositis sancitum, ne quis deinceps Catholicus Sacerdos pedem in Transylvaniam inferret, animos Novatoribus faciente Bathorio, qui Procerum Catholicorum sanguine infectum ostentans gladium, qua in Catholicos ratione sæviendum esset, admonebat.

Cætera Gabrielis gesta ne quæsieris, accusant enim potius Principem, quam commendant. Pacem cum Turcis coluit, venia tamen dignus, quod necessariam ut videbatur acceptarit, demum opportune deseruerit. Illud culpa liberari nullatenus potest, quod à Majoribus acceptam, & sancte cultam religionem Catholicam, ut tranquille regnaret, erroribus Calvinii commutarit. Quo pacto depastus est stirpem suam, quam reddere propemodum æternam potuisset, nî perfidia obfuisse. Dominandi libidine Nobilium in se odium concitavit: & jam gravi ejusdem accusatione promissisque Turcæ, Lippa, & vicinis arcibus, Principatum

patum Daciæ ab Achmete Sultano Gabriel Bethlenius impetraverat: cujus infidias metuens Bathorius ex Ungaria & Polonia Varadini auxilia expectabat. Aderat jam cum 2000 Ungarorum Abafius, quos cum inspecturus ex urbe egreditur, repetitis glandium plumbearum ictibus ex insidiis occiditur 17. Octobris Anno 1613. Cum anno uno antea in fidem ac societatem ab Rege Ungariæ Mathia receptus fuisset. Necis authores Johannes Szilásius, & Gregorius Nadányius comprehensi Claudiopoli, è præalta turri præcipites acti sunt: cadaver Bathorii aliquamdiu inhumatum, in aquas projectum, nec multo post à fidei cane protractum, ac plastro impositum bobus Ecsedinum devectum est, ibique funere, pompæ omnis experte tumultatum.

GABRIEL BETHLEN.

Sublato crudeli nece Gabriele Bathorio de Bathor, in Comitibus, sine mora præsentis Turcarum exercitus metu coactis, Transylvaniae Princeps Claudiopoli dictus est Gabriel Bethlen inchoato

Novembri Anni 1613. Initium regno à crudelitate fecit, dum gratam Ottomanano rem facturum, cujus, vivo etiamnum Gabriele, suffragium obtinuerat, arce Lippensi, ac vicinis circum castris ejus ditioni subjectis sedecim prope Christianorum millia Turcis servire coëgit. Nec satis: Militem contra Ferdinandum II. Imperatorem piissimum eduxit, excitationisque per Ungariam tumultibus ferro omnia, flammaque vastavit. Vulnera, quæ Religioni Catholicæ infligit, sentirent etiamnum posteri, nisi summo ejusdem emolumento, adversas Religioni, Societatiq; Jesu leges, ac Bathorii gesta rescidisset, nec non pristinis sedibus restitutos Societatis Sacerdotes, impensis non modicis aluisset. Præclara hæc gesta sensum minuunt cæterorum, quibus, ne profundius in animum descenderent, effecisset, nisi paucorum egregie in Dacia gestorum memoriam, detestando in Ungaria facinore tumulasset. Verum concitatus ab hostibus Ferdinandi II. Ungariæ Regnum Austriacis ereptum, errores vero Calvinii propagatum iens, dum eam bac-

chanti

chanti militi indulſit licentiam, qua Viros Divina lege tangi vetitos, Marcum Crifinum Canonicum Strigoniensem, Stephanum Pongrácium, & Melchiorrem Grodecium Societatis JEſu Sacerdotes arcte primum regia in domo Caſſovia cuſtodire, tum ſacra direpta ſuppellectili veſtibus ipſis exuere, fame, & ſiti, appoſitis veſci carnibus ſexta Domini feria renuentes excruciare, demum mortis pronuntiata ſententia, Catholica ſacra conſtanter conſitentibus animam clava ferrea elidere, corpus facibus uſtulare, ferro denique, & horrendis aliis cruciatibus enecta ſacra Martyrum pignora, quibus Catholicorum civium ſalus redempta fuit, in ſordium receptaculum abjicere non verebatur: dum iniquam eam bacchanti militi indulſit licentiam, æternam nomini, benefactisque ſuis oblivionem comparavit.

Ita ſeverus in alienos Bethlenius, multo in ſuos extitit benignior. Collegium iis Albæ-Juliz fundavit, cui accitos è Germania Alſtedium, Biſterfeldium, Piſcatorem, alioſque impoſuit. Tempora,
ludos

ludos literarios pagis, vectigalibus, redituque perenni locupletavit: ut proinde plurima Bethlenio Calvinii aſſectæ referre habeant in acceptis. Vir gloriæ cupidiffimus, ut de univerſa etiam Tranſylvania bene meritus audiret, ſatagebat, erectis tum Claudiopoli, tum vero in Saxonum civitatibus ſumptuoſis ædibus. Arcem Vinczii prope Albam-Juliam à fundamentis ad culmen uſque perduxit; Caſtrum Kiſfaludiense, duoque vaſta Albæ-Julie propugnacula erexit, Bálásfalvam, Kóvarinum magnifica murorum ſtructura exornavit: Varadinum munitionibus auxit, ubi templi etiam, honori Virginis DEIparæ à D. Rege Ladislao Angeli monitu erecti, partem in propugnaculum convertit. Belli gerendi ut peritiſſimus, ita feliciffimus: quod vicenis & quatuor præliis, quibus intererat, teſtatum fecit. Urbe, ac arce Poſoniensi occupata, ſacram Regni Ungariæ coronam ſui juris fecit, nunquam tamen adduci potuit, ut eam capiti ſuo imponeret, Comitibus etiam eo fine An. 1620. Neſolii habitis. Habet nimirum certa Superum providen-

tia illud Cælitum munus sibi proprium, ut nunquam inimicum Religioni Catholice caput redimiat. Reddidit diadema Regium Ferdinando II. titulo etiam Regis abdicato An. 1622. à quo S. R. I. ac Transylvaniæ Princeps, & Oppoliæ, ac Ratiboriæ Dux appellatus est.

Ad extrema deductus, suprema voluntate Ferdinando II. Romanorum Imperatori equum legavit cum phaleris multo ac pretioso unione distinctis, & 40000. aureorum. Tantundem Ferdinando III. Cæsaris filio, Ungarorum Bohemorumque Regi; & Imperatori Turcarum. Conjugem vero Catharinam 100000. aureorum, totidem Imperialium, ac florenorum, arcium Munkács, Fogaras, & bonorum Tokaiensium hæredem fecit, commissa Turcarum Imperatori testamenti executione, Cæsari vero Ferdinando, Conjugis & Transylvaniæ protectione commendata. Mortem, hydrope consumptus oppetiit Albæ-Julie. A. C. 1629. 15. Novembris, initi Principatus 18. ætatis 40. Parentatum eidem memorabili magnificentia, die 5. Januarii An. 1630.

CATHARINA BRANDEBURGICA,
ET
STEPHANUS BETHLEN.

VIduata prope fuerat suo Transylvania Principe, ni vidua Gabriele conjuge, Catharina Brandeburgica, sic dicta à fratre Wilhelmo Electore Brandeburgo, annuentibus Regni Comitibus, Gabrieleque jam ante fata adlaborante, Anno 1629. orbatum Principe solium occupasset. Enituit in ea profusa in omnes liberalitas, mira in moderando benignitas & mansuetudo, nec deerat quærendæ paci, publicæque tranquillitati; quam eo quo leges dictabat tempore, secuta semper, sed non affecuta, dum invidiâ nescio ambitiosâ, an ambitione invidiosa fratris Gabrielis, Stephani Bethlenii Transylvaniæ Gubernatoris, ejusque filiorum Stephani, & Petri, ac plurium aliorum Procerum nondum expleto insequente An. 1630. Claudiopoli ipsis in Comitibus, tanquam tantæ moli impar, Regno cedere jubetur. Tulit iniquam Catharina æquo animo Procerum sententiam, & eodem adhuc anno in bona à conjuge Gabriele legata sponondit se recessuram.

Eadem Regni Comitia , quæ Catharinæ fasces eripuerunt , Principatum Stephano Bethlenio detulerunt. Retinisset procul dubio diutius , ni evocato ad occupandum Principis solium jam inde ante adeptam dignitatem ex Ungaria Georgio Rakoczio , quod illud sibi obventurum diffideret , conniventibus Comitibus Seges-variensibus , promovente res Georgii per Joannem Keményium Catharina , anno adhuc eodem transcribere debuisset. Ad votum id cessasse suum rata infelix (ut eventus dabit) Catharina , statim ac Rakoczium Bethlenio successisse vidit , donis Regiis , conjugis ejus , ac filiorum animos sibi demereri pergebat futurorum ignara : Sigismundum Principis Georgii filium , inter epulas in suum adoptavit , arceque Munkatfina donavit. Verum exiguo post temporis intervallo non Munkatfino solum , sed & Fogarasino carere debuit ; ac tam illa , quam Stephanus Bethlenius ad vitam privatam ducendam sunt redacti. Hoc solo felix Catharina ; quod tutiorem ad DEUM , cœlosque viam , Religionem nimirum Catholicam amplexa fuisse feratur.

GEORGIUS RAKOCZI I.

Georgius Rakóczius, ut à Georgio filio alter & esset, & nosceretur, primus; vel ut aliis placet, senior nuncupatus, Albæ-Julix vix thronum, juraque Principis affecutus, jam Bethlenios, veterum immemor beneficiorum, subdolo persecutus est odio. Quam vero mite mansuetumque, crescente tempore, illius foret imperium, vel in uno Davide Zolyomio satis superque declaravit; quem dignitatis suæ efficacissimum licet Auctorem, septemdecim annorum vinculis Kóvarini oneratum usque eo detinuit, dum animam è mortali corpore extorqueret. Quas non Petro Bethlenio, Stephani Principis filio struxerit insidias, notum est dudum posteritati. Periisset proculdubio, nî salutem, quam is unice perditum ibat, apud Turcam profugus quæsiisset. Stephanum Apassium regno proscripsit, Gothardum Kun, reum mortis pronunciavit, plurimos alios & avito sanguine nobiliores, & loco fortunisque illustriores, bonorum adipiscendorum causa, aut legibus

oppressit iniquissimis, aut acerbissimis condemnavit. Ipsum Cæsarem Ferdinandum aggressurus, castra sua in Moraviam An. 1644. promovit, Svecisque se adjunxit. Pacto dein fœdere, magnam Ungariæ portionem ditioni suæ adjecit, ædes sacras nonaginta, magno suorum emolumento, maximo Religionis Catholicæ detrimento, Calvinii aedibus addixit: non in eo faventem Catholicis oculorum jactum reperiffes, minitantem semper observasses. Claudiopoli æqualem Unitarios inter, & Calvinianos, exclusis Catholicis in Magistratu partitionem edicto firmavit. Anno 1642. Georgium filium ipse adhuc superstes, Principem elegit. Interea Georgius senior non tam ætate, quam curis ac mærore consumptus, quod regni Poloniæ coronam defuncto Wladislao Rege, misso ad Rempublicam Polonicam Legato Francisco Bethlenio, ac pecuniarum pollicitatione necquidquam sollicitasset, terminum vitæ & Imperii ad decimum & octavum annum protracti attigit Albæ-Julix Anno 1648. ibidem lugubri pompa tumultus

GEORGIUS RAKOCZI II.

Vixit in mortuo Parente filius, dum ejus vitam adumbravit, revixit in vivente Georgio Rakoczio II. Genitor Georgius Rakoczius I. dum eum nactus est in gubernanda Dacia successorem. Clauit arte, ac Marte: & arte quidem, quum Turcam Parenti suo infensum sibi demeriturus, quindecim aureorum nummum millia tributi nomine, quod Genitor persolvere neglexerat, superadditis regiis muneribus eidem numeravit: Marte, cum Basilium Moldaviæ Principem An. 1653. bello superatum, opibus exutum è folio deturbavit, Stephanumque ejus aulæ Cancellarium moderandæ Provinciæ præfecit; Constantinum vero Transalpinæ Principem, à Szemeniis rebellibus, expilato ærario, in vincula conjectum An. 1655. regno restituit, utrumque vestigalem effecit.

Felicia hæc initia, infelicem Rakóczyum reddidere: Invitatus à Polonis, ut adversus Svecorum, ac Cosacorum vires se tueretur; adfuit ille quidem cum lecta

suorum manu, verum quem amicum præstolabantur, inimicum sunt experti. Rakoczius quippe rejecta Polonorum benevolentia, qua ejus filio Francisco, dum Religionem Catholicam amplecteretur, Regni sui diadema, ac regium solium pollicebantur: nil etiam (sui, & posterorum immemor) gravissima Georgii Szelepcsenyii Legati Cæsarei, tum Nitriensis Episcopi oratione motus, qua, ut fædus cum Sveco ictum rescinderet, ac opem Polono, quam posset, mercedem operæ coronam filio pollicenti, ferret; plus Ministrorum suorum gratiæ, & Legati Sveciæ precibus tribuit, malebatque coronari ipse, quam filium coronatum intueri. At cujus consilia neglexit, neglecta deinde vehementissime doluit. Etenim cum belli initia multo felicissima haberet, auderetque junctis cum Sveco copiis Cracoviam obsidione cingere, ac demum sub jugum mittere ac servitutem: adfuit opinione citius Rex Poloniæ cum auxiliaribus Cæsaris copiis, & vctis prælio hostibus, jugum servile à cervicibus civium depulit, urbe in liber-

bertatem asserta. Quæ hinc Rakocziæ fortis conversio? Icto fœdere, cujus ipsam merito pudeat, pœniteatque, fame laborantem exercitum in Podoliam trajecit, & ad extremum nunciato Tartarorum adventu deseruit, ut impune pro libidine barbari in eum grassari, ac in miseram servitutum pecudum more abigere possent. Cæso partim, partim capto exercitu, & Viris nobilissimis in Chami Tartarorum compedes conjectis, Princeps cum paucis in Transylvaniam reversus, duorum, Orientis atque Occidentis Imperatorum, quorum ante consilia neglexerat, odium incurrit. Demum adversa fortuna e culmine gloriæ dejectus, An. 1658. e dignitatis etiam fastigio à Mahomete pœnas neglecti consilii repetente, deturbatus est.

FRANCISCUS REDEI,

ET

GEORGIUS RAKOCZI II.

MOto dignitate Georgio, in Comitibus Albæ-Julie celebratis, ordinum suffragio susceptus est Franciscus Redei, Maramarusii Comes, vir innatæ mansuetudi-

nis, & pacis, ac tranquillitatis amantissimus, gubernacula Regni in feram procul dubio moderaturus ætatem, nî subtractus semel Imperio, rursus admoveri voluisset Rakoczius. Nondum fractus hujus animus erexit se se à lapsu, copias coëgit, armavit militem, bellum adornavit, nullam Principi pacem pollicitus, nisi quæ vel asserta fortuna, vel morte sua constaret. Et cum Redeio quidem rem ex animi sententia confecit in Comitibus Medgyesiensibus, quo intempesta nocte armatus adversus congregatos Proceres, & animatus venerat, jurejurandoque affirmavit, non se laturum infestari à Turcis Transylvaniam, modo sibi clavum ejus rursus tenere concedatur: Franciscus vero Redei non expectato Rakoczii in gratiam Turcarum reditu, de Provincia discedens juratus testetur, nunquam se Principis dignitatem resumpturum. Cessit ex animi voto sententia, quamvis Regni Proceres Rakoczii viribus diffiderent: Redeius translato in Rakoczium imperio, suas in possessiones ad vitam tranquille, beateque transigendam concessit.

Non

Non eadem felicitate cum Oriente rem confecit Rakoczius, cui, repetito Principatu, vindicaturus injuriam bellum indixit: obtulit se in pœnam purpuratus Budensis, iram Transylvani periclitaturus, & expertus est cum clade suorum luculenta: qua nunciata, Mahometes furore inflammatus, destinat Transylvaniam ad neces, incendia, vastitatem, infinito militi, quem submisit, Paruerunt barbari, nec quidquam ad furorem sibi reliquum fecerunt, grassante alia parte Chamo Tartarorum in vitam ac fortunas civium, & quod morte acerbius, in libertatem. Feruntur centum ut minimum Christianorum millia ea tempestate perisse: Transylvani reliqui amissis arcibus Jenô, Karán-sebes, Lugos, cum nihil in armis se habere præsidii vidissent, clementiam Vezirii per Legatum Acacium Barcsai implorarunt; quam tamen non nisi auro auctisque insuper vectigalibus mereri potuerunt; exutum præterea rursus Principatu Rakoczius Turca in ordinem, vitamque privatam ducendam redegit.

ACACIUS BARCSAI,
ET
GEORGIUS RAKOCZI II.

A Cacius Barcsai Comitatus Hunyadiensis supremus Comes, cum Transylvanorum à memorata clade servatorum legatione apud supremum Turcicarum copiarum Ducem in arce Jenò fungeretur, ab eodem, rejecto Rakoczio Transylvaniam moderari jussus est, cui, ut securus in Daciam reverteretur, perque Segesvariensia Comitata Princeps confirmaretur, 2000. Turcarum sunt adjuncta. Optimatum adeptus suffragium, dimisso Turcarum exercitu, annum totum 1658. rebus Daciæ componendis, ordinandisque impendit. Rakoczius interea tot jam cladibus attritus vires ab Hungaria mutuat, si forte elevari in thronum alienis manibus posset deturbato Acacio. Iisdem, æmuli molitiones, eludens artibus Acacius, Temesiam tantisper Alba-Julia se recipit præclaram manum auxiliarem implorat, & impetrat: jungit se Seidi Achmet Budensi, atque ita novis armatus

tus viribus, Provinciam repetit. Superanti Daciæ limites An. 1659. occurrit ingentibus animis rivali Rakoczius, periclitaturus fortunam, qua una spem suam solabatur. Et vota quidem cum exercitu prostrata sunt in iis campis, in quibus prælium iniit, non item animus, quem non ante, quam amitteret, statuit despondere. Fugerat tum cum copiis profligatus, sed mox Acacium à Turca sejunctum vestigavit, ac demum Cibinii invenit. Muros Acacius ferocienti opposuit, in quos sæviret, & hos quidem diu fatigavit, neque tamen labem susceptam delere, aut inter murorum ruinas potuit sepelire.

Anno 1660. Achmet supremus Turcicarum copiarum Ductor, cum non incertis nunciis Acacium à Rakoczio urgeri acciperet, recordatus tuendi Provinciam sibi esse impositam, quam celerime accurrit, ultima Rakoczio minitatus. Certus ille mori, aut vincere, prælium non detrectat. Ut signum tuba fecit, in campis Claudiopolim inter, & arcem Gyalu porrectis pugna confertur,

vires

vires conferuntur: acerrimam Rakoczius
 ciet dimicationem, atque ut furori suo
 litaret, non minore virtute, quam discrimi-
 mine, barbarorum animas manu sua im-
 molabat. Et jam victoria, quantam raro
 vidit Dacia, ad Rakoczianos inclina-
 bat, cum repente vulnera, quæ (ut pu-
 gnantem suorum manipulum Dux idem
 & miles Rakoczius eriperet) non pau-
 ca, nec levia acceperat, palmam jam pro-
 pe obtentam extorserunt. Vidit nempe
 inclinantem, & equo defluentem Prin-
 cipem acies, & ipsa inclinavit: eripuit
 tamen Dominum, ne pateret injuriæ, &
 Varadinum deportavit. Ubi nondum à
 prælio decem & octo diebus elapsis, in-
 victam illam, ac nullius metuentem pe-
 riculi animam exhalavit 7. Junii An. 1660.
 sepultus in castro suo Patakinensi. Po-
 terat memorabilem victoriam inspicere
 Transylvania, poterat Rakoczius Ducem
 fortissimis accenseri, si vel tum Ducem
 potius, quam militem agere, aut ardori
 suo frænos ponere potuisset. Illud hic
 Lectorem meminisse velim: neminem fe-
 re eorum Daciæ Principum, certa Supe-
 rum

rum lege, calamitatis cujusdam exper-
tem decessisse, quotquot in JESU
Societatem animo extitissent. Hoc cæte-
ris felicior Rakoczius, quod ad extre-
ma deductus Calvinum feratur ejurasse:
illud certissimum: viduam Rakoczii fa-
miliam, quæ duobus definiebatur capiti-
bus, Sophia Bathori ejus conjuge, &
Francisco filio, statim ab ejus morte ad
meliorem animæ vitam, repudiata hære-
si aspirasse: quanquam non desint, qui
asserant Sophiam nunquam animo sacra
Romana deseruisse, speciem tamen hete-
rodoxæ præsetulisse; quam à morte Ge-
orgii exiit, jussisque facessere ex aula,
& templis in adfita Tibisco regione Mi-
nistellis, ad procuranda sacra, filiumque
instituendum Societatis JESU Sacerdotes
evocavit.

ACACIUS BARCSAI,

ET

JOANNES KEMÉNY.

Latebat interea Cibinii Barcsaius, nec
ante urbe excessit, quam obtentæ
de Rakoczio victoriæ fama ad eum fuisset

set perlata. Tum gratiam Conservatori suo repensurus, comes Turcæ factus est in Ungariam. Verum nè per ignaviam amitteret, quod multo sudore comparaverat. ad defendendam brevi subjectam sibi Provinciam revertitur: tametsi eam grandi etiam cum periculo nequiverit conservare. Aderat novo cum exercitu Ali-Bassa suam in ditionem Varadinum redactus: quod dum Barsaius pro ea, qua Partium Ungariæ Dominus, subjectam sibi urbem defendere debebat, animi generositate, tradere recusat, captivus, mortis subit periculum; nec nisi post captum hostili magis stratagemate, quam armorum vi Varadinum; libertati, solioque restituitur. Redux in Transylvaniam Acacius, in arcem Görgény se recepit, quod Siculos, aliosque non paucos, ac in iis Proceres Rakoczio prius addictos, pro Joanne Keményio studiis certare animadvertisset. Prohibebat ab ingressu in Transylvaniam Keményium Casparus Barsaius Acacio sanguine junctus, verum hoc occiso, evicit apud Acacium, ut missam faceret Principis dignitatem, si Proceres

ceres

ceres sibi suffragarentur. Junxere industriam Optimates Keményio , & in Comitibus Regényiensibus Principem salutarunt mense Januario An. 1661. Exutus dignitate Acacius nequaquam animum ad eam repetendam exuit: quare nova quædam in Keményium machinari animadversus, ejusdem anni mense Februario in Comitibus Bistriciensibus , ac iterum mense Junio in Medgyesiensibus perduellionis in Principem accusatur. Capite jam tum regnandi cupiditatem expiasset Keményius , si per Ali - Bassam licuisset. Nec diu odium simulavit: evocatus ex arce Górgény Barcsaius Ali-Bassæ leniendi, vel, ut alii malunt, mutandi domicilii specie, adhibito custodiæ causa cum aliquot militibus Varadio Centurione, ut in itinere trucidaretur, author fuit. Corpus diu insepultum in via publica jacuit, dum è vicino pago Kozma nuncupato, agrestes miserti, humo contegerent. Uti vivum plurimi oderant; ita mortuum nemo dolore, nemo miseratione profecutus est.

JOANNES KEMENYIUS,
ET
MICHAEL APAFFI.

Liber æmulo Keményius non diu Principis solium quietus tenuit. Ingressus hostiliter in Transylvaniam Ali-Bassa partam felicitatem deferere, & sceptrum cum gladio mutare coëgit. Grafabatur is tota Dacia eo potissimum nomine, quod Barsaii cæde Sultani Majestatem læsisset Keményius, & barbarorum detestatus amicitiam Romanorum Imperatoris Leopoldi tuelæ se se credidisset. Et jam viginti millia auxiliatorum militum obtinuerat Duce copiarum Raymundo Montecuculo, quos metu Turcarum è Transylvania in Ungariam profugus Keményius ad Szattmarinum operiebatur. Interea dum Montecuculus è diuturni itineris labore militem reficit, novum Ali-Bassa Transylvaniæ imponit Principem. Inclinabat initio in Stephanum Petkium, verum major is erat, quam ut barbaris fœdere jungeretur, & metum incutiebant Principum præcedentium cruenta vestigia. Evocatum proinde

Ebes.

Ebesfalva, gentilitio Apaffiorum castro Michaëlem Apaffium Principem pronunciat An. 1601. 19. Nov. & decimo post die, in Comitibus eo fine coactis insignibus Turcicis ornatum confirmavit, promulgavitque.

Recreato paulisper exercitu placuit Montecuculo, ut miles diversis in Transylvaniam viis ingrederetur, diviso armorum strepitu majoris numeri opinionem sparsurus. Claudiopolim usque cum Keményio progressus, Turcam prælii vitandi causa in intima Transylvaniæ retrocessisse intellexit. Dolebat Montecuculo laboriosam adeo expeditionem in irritum recidisse; satis famæ consultum ratus, quod arces complures, Claudiopolis ipsa firmo præsidio teneretur; reditum in Ungariam decrevit. Secutus eum Keményius largiter illacrymatus est, tantaque recuperandi Principatus libidine tenebatur, ut palam profiteretur: privatum se vivere non posse. Ergo uti anno superiore Barcsaium everterat, media hyeme, Turcis per hyberna sparsis, Apaffium imparatum, atque inermem

L 2

oppri-

opprimere statuit; dicere etiam auditus: si vel ipsa vita constituram hanc expeditionem sibi liquido constaret, ab ea se nequaquam destitutum. Et infelix sibi augur fuit: Principio Januarii quinque suorum, duobus Germanorum millibus stipatus in Transylvaniam emergit. Interclusum Medgyesini tum agentem Apassium cupiebat: at ille, simul ac indicium hostis factum, Segesvarinum evasit. Copiis urbi circumfusis, certam haud dubie prædam retibus tenuisset, nisi fatali cunctatione identidem interistere, intempertivæ æquitatis, æc clementiæ laudem affectare, nullius fortunam lædere voluisset. Hominis mente egregie utendum ratus Apassius, deditioem primum offerre, tum de conditionibus agere, multos dies colloquiis extrahere. Continuato interim noctium, dierumque itinere accelerabant Turcica auxilia, quæ primo statim periculi rumore petierat Apassius; priusque Medgyesinum pervenire, quam ventura quisquam suspicaretur: inde Segesvarinum, nihil impedito cursu contendere: diu anceps Keményi-

ményius, pugnaret, an se reciperet? sifteret, an recederet? sprevit suorum consilia, demum mortem sibi præ fuga fore identidem ingeminavit. Jam classica canebant, cum è medio quispiam advolat, monens: ut à proditoribus caveret. Vera dixisse tristis eventus docuit: parte enim acerrime pugnante, dextramque hostium alam jam jam perrumpente, pars vicinas in sylvas se subduxit. Maxima brevi fugientium cæterorum, modica pugnantium strages fuit. Keményius ipse equo effusus, à fugientium turma, industria, an casu obtritrus, misere interiit. AN. 1662. 24. Januarii. Equum Barcsaii ante pugnam conscenderat, & visum est jumentum vindicasse Heri necem, nescio, an justo satis supplicio, uno abhinc anno sublato. Keményii cadaver paucis post diebus repertum, caputque resectum, Adrianopoli eminenti hastæ infixum, tristi diu fuit spectaculo. Nimirum: inimicam semel expertus fortunam, cum ejusdem ludum resumit, ludus sæpe fortunæ fit, & ludibrium.

MICHAEL APAFFI I.

REddita sibi Dacia Keményii interitu videbatur, Republica ad unum Apaffium devoluta. Virum claro genere natum, acta ante Principatum procul à Republicæ turbis vita, probitas, ac mansuetudo, vehementer omnibus commendabat; qua velut amabili quodam nexu Primores tracti, palam in ejus partes transibant. Unus torquebat aculeus novum Principem: quî duorum in medio potentissimorum Orientis, atque Occidentis Monarcharum constitutus, Daciam tranquille gubernare posset? Augebant sollicitudinem Germana præsidia, quibus arces pleræque tenebantur: quas ut quantocyus expugnaret, Sultanus imperabat: futuram alioqui Transylvaniam æternum Turcici Imperii partem, si Ali-Bassa cum exercitu reverteretur. Princeps duobus se Dominis servire posse desperans, Turcarum partibus accedere maluit. Orare igitur Cæsarem Leopoldum: consuleret miserrimæ regioni, centum amplius hominum millibus exhaustæ,

stæ, & qua nuper charitate copias sub-
 misisset, eadem, mutatis penitus rebus,
 abduceret. Et annuebat facile Cæsar, nî
 justus metus incesferet, ne Turca Regi-
 onem occuparet, si Germanus miles ab-
 scederet. Quare locorum Præfectis injun-
 ctum: strenue commissas sibi arces tuta-
 rentur, cæteris, ut expedita manu, labo-
 rantibus præsto essent. Verum opportu-
 nius ea monita adhibita, quam fidelius
 obtemperatum. Georgius Bethlenius vix-
 dum adveniendi Apassio, exacto Cæsar's
 milite, Fogarasinum tradidit: Claudiopo-
 lis octo Transylvanorum, quatuor Tur-
 carum millibus oppugnata, ne continuo
 in eorum abiret potestatem, Mars effecit
 Austriacus, cui trepide se hostis subdu-
 xit, nec quidquam præterea in campo
 gestum, promulgatis magno utriusque
 exercitus gaudio, induciis.

Gemebat interea reliqua Dacia gravif-
 simo oppressa jugo, exhauriebatur opi-
 bus, nec domesticis carebat seditionibus,
 quibus incitatus Apassius innatam exuere
 lenitatem, & severum induere Princi-
 pem coactus, multos Ordinis etiam Se-

natorii viros in vincula & carceres com-
 pegit, Dionysium Banffium Affinem su-
 um capitis condemnavit. Ut vero æquita-
 tis amantem se se exhiberet, constitui-
 ones Regni Transylvaniæ, quas *Compi-
 latas* vocant, typis editas vulgavit. Hæc
 inter, Religionis negotia nequaquam in-
 termisit: & Catholicæ quidem haud mul-
 tum obesse voluit: res Calvinianorum,
 & ipse Calvino addictus, non mediocri-
 ter promovit: Lutheranis Archi-Episco-
 pi nomine præfuit, quo passim in literis
 à Lutheri affectis honorabatur. Talis ni-
 mirum Antistes religioni Lutheranæ con-
 veniebat.

Æmulum subinde Apassio invidia com-
 paravit Paulum Beldium, nobili & per-
 vetusto genere natum. Animum is ad
 Principatum adjecerat, quod videret cæ-
 teros majori in pretio esse Principi, pu-
 blicisque muniis, se neglecto admoveri:
 adjunctis igitur sibi Procerum nonnullis,
 & Sedium Siculicarum Sepsi, Kézdi,
 & Orbai incolis, Principem bello pete-
 re constituit. At Siculi à Principe officii
 admoniti, arma posuere; Beldius vero

ubi

ubi res suas prostratas vidit, ad Portam Ottomannicam se recepit, nec finem querelis faciebat. Verum ubi salutem quæsit, exitium reperit: Purpurati per submissos Principis Legatos auro, argentoque devincti, Bældium cum sociis seditiosis ad septem Turres condemnarunt, ubi lapsu temporis veneno interfectus est. Promissum captivo Principatum ferunt, si tributum auget, certosque dies populationi in Transylvania concederet: At is Patriæ non ingratus suæ, mori in carcere maluit, quam cum perpetua nominis sui ignominia, Patriæque excidio, dignitatem obtinere.

Seditionum osor Apaffius, socius subinde factus est seditiosorum. Ardente bellis civilibus Ungaria, Tokainum, Szattmarinum, & alias nonnullas arces ab Rakoczio aliquamdiu possessas, per Legatos à Cæsare repetebat; nec expectato responso, auriferis Nagybanyæ montibus dudum insidiatus, duodecim armatorum millia in Ungariam infudit, qui non multo post misere adeo regionem pulcherrimam depopulati sunt, ut ad cæteras clades,

& opimas prædas, captivi octingenti barbaro more abducerentur. Anno deinde 1681. in armorum societatem à Turca adscitus, supremum exercitus Ductorem Mahumeti voluntate egit, quo dum fungeretur munere, Beszerményium Ungariæ oppidum obsidione pressit, expugnavitque. Rursum An. 1682. Purpurato Budensi, & Emerico Tökölio junctus, arcem Füleki obsedit, cujus præsidarii, renitente necquidquam loci Governatore Stephano Kohario, deditioem fecerunt. Anno denique 1683. Mahumet Turcarum Imperator, supremo Purpuratorum Principi cum exercitu in Ungariam abeunti, Principem Apassium cum Transylvanis suis adesse voluit; quos deinde ad custodiendos pontes inter Arrabonem majorem, & minorem disposuit, secundo Transylvanis eventu: cæso quippe & profligato ad Viennam immani Turcarum exercitu, salvi illi in Transylvaniam sunt reversi. Præclara hæc victoria, & fædas detestandum, quod Christianum Principem in Christianos sævire cogebat, salutarem Dacis cogitationem suggestit de diuturno, gravissimoque

moque barbarorum jugo excutiendo. Igitur A. C. 1685. agere cum Augustissimo Cæsare Leopoldo cæperunt, ut ad Ungariæ Coronam rediret Transylvania. Missus eam ob rem Legatus ad Cæsarem Joannes Haller, ac ut minori cum Orientis offensa, indignationeque res conficeretur; Cæsareo militi, Duce, Comite Schaffenburgo in Transylvaniam ingredienti cedere Princeps cum Magnatibus voluit, & Cibinium concedere, quod, velut ab hoste se se defensus, milite Transylvano cingi jussit; cæditur ille, profligaturque, ut Legato Turcarum, qui tum aderat, palam fieret, Cæsaris viribus Daciam resistere non posse. Idem anno sequenti factitatum, cum Serenissimus Lotharingiæ Dux Carolus Josephus ingrederetur: Miles tamen voluntate Principis ac Procerum, in urbes omnes certis legibus receptus, si Coronam excipias; quæ diu obstinata, anno primum 1688. Apassii, Cæsarisque Leopoldi armis expugnata, parere didicit. Universa deinde Transylvania coram Exc. ac Ill.ºno. D. Josepho Comite à Karaffa, Cæsarearum copiarum

arum Duce per Michaëlem Telekium, Nicolaum Bethlenium, & Stephanum Aporium in Cæsarls Leopoldi fidem, ac clientelam se se tradidit. Sipienti prorsus consilio: utpote quæ terminato brevi Principis Apassii imperio, brevem hanc, & vix degustatam sub Principis Austriaci protectione felicitatem, iugo iterum Turcico commutasset. Fatis quippe ereptus est Michaël Apassius Fogarasini 15. Aprilis An. C. 1690. ætatis 58. initi Principatus 29. sepultus honorato funere anni sequentis mense Februario in Almakerét: Felix diuturno imperio Princeps, multo vero felicior asserta libertate Daciæ, quam cum Orienti stipendiariam ab antecessoribus accepisset, liberam, securamque hæredi Michaëli reliquit.

MICHAEL APAFFI II.

Michaël Apassius, sexto ante Parentis obitum anno, etiamtum Adolescens Albæ-Julix in publicis regni Comitibus Princeps Transylvaniæ renunciatus, insignia Magistratûs; sceptrum, & vexillum è manibus Legati Tarcarum accepit

An.

An. 1684. 18. Septembris. Inter ipsa inaugurationis solennia, dum festivo plausu omnia personant, machina ænea recens fusa, vi pulveris nitrati rupta, ac excussa sinistrum Orienti portendit omen: rumpendum nimirum fœdus, summa Daciæ pernicie, tot annos servatum; quo non minore bonorum omnium solatio, quam Otomanni mærore, vivo etiamnum seniore Apaffio est perfectum. Negotium illico ab ejus obitu, novo Principi faceffivit Emericus Tökôlius, dum Ungaris, Tartaris, & Turcis stipatus, hostilem in modum Daciam invasit. Occurrere seditiosis Donatus Comes ab Haisler, & Michaël Telekius; hic Transylvanarum, ille Cæsarearum copiarum Ductor, cum exigua militum manu; sed à conferta multitudine cæsi partim, partim capti, palmam hostibus cesserunt tum quidem, at brevi novis aucti suppetiis, Duce Serenissimo Principe Ludovico Badensi Tökôlium è Transylvania exegerunt: Galgam Sultanum cum octuaginta Turcarum millibus in Dacia grassantem, ac eam præsertim regionem, quæ Varadinum respicit depopu-

populantem , ingenti prius clade affectum fuderunt , fugaverunt.

Degebat interea Claudiopoli Michaël Apaffius , maximam inde laudem consecutus , quod in ea calamitate temporum , magna Transylvaniæ parte Tókólio adherente , in fide ipsa ac clientela Augustissimi Romanorum Imperatoris Leopoldi cum Proceribus suis perseverarit. Nihil præterea dignum posterorum memoria gessit , nomine verius , quam munere , ac dignitate Princeps. Impar tantæ molis adolescens , reliquum , quod superfuit vitæ , Viennæ fere transegit : præmaturum iniens matrimonium in eos prolabatur errores , qui thalamos intempestivos sequuntur. Ultimus profapiæ suæ furculus , avitam Majorum gloriam sepulchro intulit , & heterodoxorum Principum seriem cum vita terminavit Viennæ. Documentum posteris relinquens : maximam nobilissimarum familiarum ruinam , per immatura connubia si non exoriri , augeri certe , perficique. Corpus in Transylvaniam deportatum , prope Patris cineres conditum est in Almakerét. Poterat hic

Prin-

Princeps Daciæ Fasces cum vita in feram senectam producere, quin & majoribus auctus honoribus, Augusto (ut rumor ferebat) beari thalamo, si cupiditatibus dominari, si malevolorum consilia averfari, si avitam denique religionem amplecti voluisset. Hæc vero dum neglexit, imperium Daciæ secundo prorsus eventu ad Domum Austriacam, fœcundam tot Regum ac Imperatorum Parentem transiit; unde prognatorum Daciæ Principum ut epitomen texamus, series postulat institutæ narrationis.

LEOPOLDUS MAGNUS.

Dluturnis afflicta malis Dacia, felicioris cursus ordinem sub postremis Principibus Heterodoxis inchoavit, dum Anno 1687. excusso, quo hæctenus misere premebatur, Ottomannico jugo, sub clementissimas Austriacæ Domus, ac LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris alas, & protectionem se se commisit. Orto hoc sole, & fulgorem suum late spargente, expalluit luna Turcica, imo videri desinit: nec præter aliquid obscuræ lucis, & nomi-

nominis sui minas , quidquam reliquit.
 Et certe vidisti Lector benevole , quam
 sub imperio priorum Principum Dacia
 nostra , Provincia fuerit earum de numero
 una , de qua merito dici possit illud Sa-
 lustii : *Discordia res maximæ dilabuntur.*
 Scilicet divisa in plurimas sectas , erro-
 resque Dacia , quid aliud sperare potuit,
 quam cædes , incendia , vastitatem , rui-
 nam ? Novorum dogmatum Architecti se-
 dem hic suam locavere , & quisque sibi,
 quam libuit portionem terræ occupavit ,
 ut liberius in Religionem Orthodoxam
 grassaretur : subinde discordes & ipsi in-
 ter se tumultuarentur , se invicem cædi-
 bus & ruinis peterent , si huic impone-
 rent diadema vertici , illi regni clavum
 Principi alteri moderandum traderent , hi
 protectionem Portæ Ottomannicæ vellent,
 illi se potius Coronæ Angelicæ submitte-
 rent , reapse Patriam misere depopularen-
 tur , seque invicem consumerent.

Hæc facies Reipublicæ erat , antequam
 Duplus ille sol emergeret. Opportebat
 quippe , ut qui consilio & industria meli-
 orem Europæ partem Cæsar , & Rex Apo-
 stoli-

stolicus gubernabat, gemmam etiam hanc Coronæ suæ Angelicæ ab omni purgatam macula ad nativum fulgorem reduceret. Et vero vix Leopoldus Imperator Daciam sub alas recepit, illico bellum impietati est indictum, Turcam gloriosis armis semel, iterumque profligavit, ex Patria ejecit, effecitque, ut qui olim Protector Transylvaniæ audiebat, spem propemodum accisam haberet, eam non modo subjugandi, sed ne revisendi quidem. Ex quo quantum Daciæ emolumentum, quanta orta sit felicitas, is optime novit, qui suo malo didicit jugum ferre Turcarum.

Exterminato Turca, ut sua etiam justitiæ & æquitati sit sedes, Magistratum amplissimum erigit, cui viros virtute ac sapientia insignes, eosque ex omni Procerum ordine lectissimos præficit, qui vicaria potestate omnibus jura darent: Nos Magistratum illum excelsi Gubernii nomine vocitamus. Atque hoc illud Senatus-Consultum est, in quo Patriæ Patres confident: pro aris & focis, pro æquitate; verbo: pro Patriæ bono indefesse

excubant, ac decernunt. Exturbata mahometana impietate, stabilita in regno æquitate, pietatem, ac veræ Religionis cultum inducere nitebatur: hic labor, hoc opus erat, quod notissimæ Europa tota Leopoldi pietati Cælum reservasse videbatur. Et certe studium omne in id impendit piissimus Imperator, ut labantem in Transylvania Religionem rursus erigeret, exterminatos iniquissima lege sacrorum Præsides reduceret, cultores Orthodoxæ fidei, viros certe sapientia, ac virtute excellentes, publicis Regni muniis (à quibus iniquissime arcebantur) admoveret, nihilque eorum intermitteret, quæ ad Religionem stabiliendam opportuna fore judicabat, ut nempe oppressam adeo innocentiam à servitute vindicaret, mundoque palam faceret, tandem in potestatem Austriaci Principis devenisse Daciam, cujus est non modo felicitatem Patriæ, sed & immortalis DEI cultum, & avitæ religionis emolumentum promovere.

Quam jucundior fuit illico Daciæ facies; cum supremum sacrorum Antistitem,
quo

quo compluribus carere cogebatur annis, rursus decreto Cæsareo introductum conspiceret? cum templum tum Claudiopoli, tum Albæ tunc Juliæ, nunc Carolinæ, catholicis sacris restitutum, cum ad informandam juventutem publica aperirentur Lycæa, & Musæ quidem Claudiopolitanæ longo ab exilio reduces, Academicis etiam trophæis inclarescere de novo ceperunt: Cum ipsi bonarum artium Magistri (Socios Jesu intelligo) non amplius alieno sub amictu latentes, sed veste religiosa induti, palam & libere Juventutem erudirent, palam dogmata Orthodoxæ fidei populo instillarent, errores dedocerent, subque svave Christi jugum palabundas per avia & devia ovi-
 culas reducerent. Infremuit sine dubio hæresis, dum hæc spectaret; sed nempe Leopoldi Principis Augustissimi Majestate perstricta, furiosos cohibuit motus, maluitque triumphantem videre Religionem Catholicam, quam Fulmen Majestatis Cæsareæ experiri. Sed & illud singulare Lepoldinæ pietatis argumentum est, quod Valachorum gentem, quæ in-

genti numero Transylvaniam incolit, eratque erroribus Photii, & variis superstitionibus addicta: eam, inquam, gentem ad Romani Pontificis imperium, ad eadem nobiscum signa adduxit, Antistitem eis dedit Romana jam auctoritate consecratum, & cum major fere Transylvaniæ pars Valachis constet, effecit; ut major ejus pars Catholico ritu hostiam pacificam DEO litaret. Plura pro DEI gloria intendebat piissimus Imperator, & procul dubio effecisset, nî bello Turcico, & Gallico impeditus fuisset, morsque ipsa conatus optimos prævenisset 5. Maji Anno 1705. Neque tamen ita mori potuit, ut jugem sui memoriam nobis non relinqueret. Erat quippe virtute præstantissimus, sapientia perspicacissimus, Majestate potentissimus, fortitudine invictissimus, hostium terror, subditorum amor, in omnibus denique Augustissimus.

JOSEPHUS.

A Miserat Leopoldum Dacia, quem tamen in JOSEPHO Cæsare Augustissimo rursus reperit, & nisi præmatura eum
fata

fata ad recte factorum mercedem evocassent, felicissima sane vixisset tempora, utpote cui DEUS felicissimum hunc Principem dedit Salvatorem. Et vero præterquam quod Germania, Italia, Hispania, Belgium gravissimo bello laceraretur, Hungaria etiam, ac Dacia nostra intestinis tumultibus misere quassabatur, imo quorundam perduellium factione, vertici alteri diadema Transylvaniæ imponitur. Sed nempe sinistra erat hæc Daciæ pars, melior ejus portio in fide, ac clientela JOSEPHI esse gestiebat. Poterat hic Augustissimus Princeps ad debitam observantiam tot demessarum palmarum gloriosis armis adigere, ut qui amore simul & timore moderabatur, subjecta sibi regna: verum furentibus pacem prius offerebat, dein pænas minabatur, & quia Martis potius subire aleam perduelles voluerunt, quam sub amica pacis olea quiescere, timore jam agendum ratus, Augustissimus Imperator arma infert, & tribus vicibus perruptis alpium claustris & faxis, viam glorioso militi aperit, perduelles non una vice cædit, fugat, pa-

tem ac felicitatem Daciæ infert, relictiſis pro custodia ejus, belli Imperatoribus longe excellentiſſimis, qui & perduelles ad fidelitatem cogèrent, & fideles à factioſorum injuriis, & furore protegerent. Quam iterum alia fuit Daciæ faciès, dum Principis JOSEPHI armis ac virtute inclaruit: Religio certe Catholica, quæ labascebat iterum, ingreſſo in Patriam Joſephino milite, caput erexit altius, & Auſtriaca pietate florere ruruſum perrexit. Felicem ſane Daciã! ſi tanto defenſore diutius potiri licuiſſet; ereptus quippe nobis eſt opinione citius, ſexto nimirum ab Auguſtiſſimi Genitoris ſui obitu, anno.

Cæterum rerum potiente JOSEPHO, palmas undique meſſuit Auſtria, in Germania, Italia, Belgio-Gallos proſtigavit, in Hiſpania Gallo-Hiſpanos domuit, & magnam Catholici Regni partem legitimo hæredi Fratri ſuo ſubjugavit. In Hungaria & Dacia perduelles fudit, & ad fidem ſanctius ſervandã coëgit. Ubique amore, & timore triumphavit. Feliciffimus juxta, ac gloriouſſimus Imperator, quanquam victore gladio terro-

rem hostibus incufferit, pacem tamen amabat amplius, & vel inter martiales tubarum clangores, & feralem armorum strepitum, clementia Cæsarea illustris, amorem sui vel ab invitis extorquebat. Dignus longiore vita, nisi cælo matura virtus, ad immortalem vitam eum evocasset Anno 1711. XVII. Aprilis.

C A R O L U S

Romanorum Imperator VI.
Rex Ungarariæ III. Princeps Transylvaniae I.

SOL novus orbi Dacico illuxit, dum Leopoldus Imperator vere Magnus rerum potiebatur, altius provectus est sub Josepho, in ipso meridie constitutus est regnante gloriosissimo Cæsare, ac Principe CAROLO. Et certe quam serenus Religioni Catholicæ illuxerit, inde conjias, quod diem hunc adversarii ipsius æquo vix potuerint sustinere oculo. Suum restituit Daciæ Præfulem, Præsuli suam sedem, dignitatem, fundos, redditus. Eundem supremo, ut vocant, Guberniali Tri-

bunali admovit, atque ut proximus ab ipso Transylvaniæ Governatore affideret, imperavit: quin etiam ut ostenderet, quo & ipse sacros ejusmodi Ecclesiæ Patres honore prosequeretur, & quam ab aliis Eisdem venerationem præstari vellet, ejus temporis sacrorum Antistitem Excellentissimum ac Illustrissimum D. Gregorium Sorger, virum sapientia, virtute, zelo Apostolico clarissimum, non modo Liberrum Baronem, sed etiam Intimum, ut vocant, Statûs Consiliarium nominavit; sed & sacrum Canoniorum Collegium restituit Daciæ, ut essent, qui pro Domo DEI excubarent. Religioni Catholicæ compluribus in urbibus & oppidis templa reddidit, atque Claudiopolitanum quidem D. Michaëli Archangelo sacrum, quod annis compluribus hostes Filii DEI profanabant, è manibus eorum eripuit, & Romanæ restituit Ecclesiæ. Pagina me deficeret, si quæ Princeps hic, vere Catholicus, vere Apostolicus, pro Domo DEI, & ejus Ecclesia egit, omnia enumerarem. Verum non modo Religioni Catholicæ, sed & publico Patriæ bono illuxit Sol hic

Augu-

Augustissimus : nam imprimis Turcam nuperrimo bello profligavit adeo , ut & Temesia , & Belgrado , & Valachia cis-Alutana eum exturbaverit ; ex quo potissimum percepisse fructum videtur Dacia : unde enim plurimum periculi , ac discriminis timebatur , nunc præsidium habet , & tutelam . Quamdiu enim Temesiæ rerum potiebantur Turcæ , non tam timebamus hostem , quam habebamus , erantque vel in ipsa Dacia quidam , qui nefarios barbarorum conatus promoverent : nunc expulsis hostibus magna Patriæ reddita est securitas . Accedit & aliud Carolini in Daciam amoris argumentum , quod Albam , olim Juliam , iis muniverit præsiidiis , ut operis elegantia nulli fere in Europa sit secunda : ac propterea digna , quæ non amplius Juliæ , sed Albæ Carolinæ nomine insigniretur . Ut præterea felicior ex vicina Valachia redderetur mercatus , à Cibinio per ingentes Alpes iter planum effecit , saxa immania labore improbo perfregit , ut montes subsidere videremus , & fieret utilitati publicæ via Carolina , quam quicumque tereret , dubitare non posset , Princi-

pem hunc in Daciæ felicitatem a DEO fu-
 iſſe donatum. Tot, tantisque beneficiis,
 ac meritis digniſſimum ſe reddidit Carolus,
 ut quam Auguſtiſſimi Majores ejus Pro-
 vinciam, in clientelam receperant ſuam,
 Princeps ipſe, univerſi populi ſuffragiis ele-
 ctus gubernaret, quin & jure hæreditario
 poſſideret: quod ut in muliebrem etiam
 ſexum, ac præprimis in Sereniſſimam
 Archi-Ducem Mariam Thereſiam, Auguſtiſ-
 ſimi Principis glorioſe regnantis filiam
 propagaretur, publicis in Regni Comitiis
 Daciæ Proceres An. 1722. Cibinii tabulis
 conſignarunt: adnitente cumprimis Ex-
 cellentiſſimo D. Damiano Hugone Comite
 à Virmond, Generali per Tranſylvaniam
 & Valachiam Commendante, & Principis
 Auguſtiſſimi ad Comitiam Legato: operam
 vero ad id ſuam conferente Excellentiſ-
 ſimo ac Illuſtriſſimo D. Sigismundo Kornis
 de Góncz. Ruſzka, Daciæ Governatore.

Nefas foret hic honores illos, quibus
 Daciæ Proceres exornavit, omittere, &
 imprimis quatuor lectiſſimos eorum, in in-
 timum Statûs conſilium adlegit, nempe:
 Excellentiſſimum ac Illuſtriſſimum D. Com.
 Sigis-

Sigismundum Kornis de Göncz-Rufzka, totius Transylvaniæ, & partium ei annexarum Governatorem, quem jam antea ob insignia in Augustissimam Domum Austriacam, & Patriam merita, ob singulares animi dotes, quibus egregie instructus est, & perpetuam in jurata Cæsari fide constantiam, pretioso pignore, effigie sua, copiosos inter adamantes fulgente, donavit, quod pignus licet magni omnino sit pretii, maximum tamen inde summit, a quo acceptum est, à Carolo nempe Principe Augustissimo. Dignus certe fuit *vir* iste Excellentissimus, cui maxima honorum ac dignitatum ornamenta tribuantur, utpote qui & singulari in Religionem Catholicam zelo, & peculiari in Sanctissimam ejus Matrem, cujus Thaumaturgas Icones complures publicæ venerationi exposuit, multisque, ac pretiosis ornamentis locupletavit: pietate fertur; & acri ingenio, ac indefessa industria in Patriæ bonum ac emolumentum desudat.

Alter ab hoc, eadem ornatus dignitate est supra jam nominatus Excellentissimus, Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Gregorius


rius Sorger, Dacorum Antistes: tertius Excellentissimus ac Illustrissimus D. Joannes Bornemisza L.B. de Káczon, Transylvaniæ (ut vocant) Cancellariæ Aulicæ Præses, qui & ipse ob insignia in Augustissimam Domum Austriacam, & Patriam merita, gemmea Cæsaris effigie jam antea donatus est. Quartus denique Excellentissimus, ac Illustrissimus D. Stephanus Vesselényi. Quin imo proximis Regni Comitibus alios suos, ut ajunt, Camerarios esse jussit, data eis clavi aurea; alios gemmea effigie sua; alios torquibus aureis donavit. Verbo: eam in omnes clementiam ostendit, ut in Daciam omnes benevolentiae suæ radios dispersisse videatur.

O. A. M. D. G.















ORTUS
RELIGI
ONUM



ADAM SMITH

